

*nes alij sensus fundantur supra tactū, vnde approximatio ad istum claudet virtualiter approximationem, ad reliquos sensus, adeoque erit maxima cum Christo sentiente ac patiente propinquitas; nil mirum ergo si ratione huius valdē sanctificata est, redditaque adorabilis, modo tamen dubio sequenti explicando.*

## §. II.

*Secunda conclusio autoritate, & ratione probata.*

4. **D**icendum est secundò. Aliæ cruces representantes nobis crucem illam, in qua Christus mortuus est, in quacumque alia materia efformentur, sunt adoratio-ne dignæ. Probatur primò ex Secunda Nycæna Synodo actione se-ptima, vbi in definitione Sanctæ magnæ, & Uniuersalis in Nycæna Synodi secundæ remote à principio haben-tur hæc verba. *Definimus cum omni diligentia & cura venerandas & Sanctas imagines, ad modum & formam veneranda, & vinificantis Crucis, è coloribus, & tassellis &c. vndè & in fine eiusdem definitionis damnantur afferentes venerandam non esse figuram crucis. Confirmatur etiam authorit: Photij Patriar: Constant: qui loco addusto concl: præceden: ait. Sic crucis signum adoramus, quo demonum agmina fugantur, & varijs curantur morbi: cum semel in ipso exemplari gratia, & virtus exhibita sit, & usque ad exempla similis vis se diffundat &c. Hoc ipsum etiā ostendit eximia ea veneratio, qua crucis signū semper coluere fideles, quod passim apud Sacras historias testatum offendes. Ut tamen verum, fateamur idem crucis signum non fuit publicæ omnino adorationi*

expositum, nisi tempore Constantini Magni: hic enim primus post superatum profligatumque Maxentium, eiusque exercitum virtute crucis, id laudabiliter præstítit cum in ipsomet Romani fori umbilico suum erigi iussit simulacrum, quod triumphale crucis vexillum manu præseferebat, nobili hoc insuper inscripto titulo. *Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio viuitatem vestram tirannidis iugo liberaui, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinę amplitudini, & splendoris restituui. Videatur Baron:* ex quo hoc desumpsimus, tomo 3. Anual: anno Chrtisti 312. n. 64. *Baron.*

Sed vt amplius innoteat quanto pietatis ardore venerabile crucis signum prosecuti fuerint Catholicæ veritatis assertores, placuit adduce-re verba canon: 73. Sextæ Synodi Constantinopolitanæ quæ talia sunt. *Cum crux nobis viuifica salutare ostenderit; nos omnem diligentiam adhibere oportet, ut ei per quam ab antiquo lapsu saluati sumus, eum quem par est honorem habeamus. Quamobrem & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuræ, quæ à nonnullis in solo, ac pauci-mento sunt omnino deleri iubemus, nè incedentium conculatione victoria nobis trophæum iniuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps crucis signum in solo construunt, segregari decernimus. Vide grauissimum eorum Patrum Senatum acerbo diuisionis vulnere ferientem eos, qui irreuerenter in crucis signum se gesserint, illud in paumento efformantes. De laudibus Sanctæ Crucis videri potest S. Ioa: Chrysost: tomo 2. in homilijs de Cruce & Latr: & de Cruce Domini: vbi lunculentissime pro more scribit.*

5. Probatur nunc ratione ex doctrina S. Tho: desumpta. Omnis crux in qualibet efformata materia repræsentat

repræsentat nobis nedium crucem, in qua Christus vita functus est, verum etiam eundem Christum in cruce extenso corpore decedentem, ergo omnis eiusmodi crux est adoranda aliqua adoratione. Antecedens quoad primam partem constat, ad illam enim repræsentandam efformatur. Quoad secundam probatur quia ut vidimus conclusione præcedenti, ea crux in qua Christus mortuus est ipsum in eadem extensum repræsentat; adeoq; omnis alia crux, saltem ea mediante eundem Christum sic repræsentat.

Tum etiam quia omnis crux in quacumque materia elaborata, reuera etiam immediatè eundem Christum Dominum in cruce extensem nobis exprimit: & hoc ideo quia crux in qua Christus mortuus est, vtquè non sic Christum repræsentabat, quia tactu & sanguine Christi dedicata est, adeoque prout erat in ea numero materia, ut videtur per se manifestum; sed id præstabat ex propria ea figura quam habebat. Porro etsi omnis alia crux in materia diuersa ab illa reperiatur formata, quoad figuram omnino specificè conuenit cum illa, in qua Christus decessit; cum ergo vis repræsentandi Christum extensem, habeatur ratione figuræ, satis manifestè apparet, posse, ac de facto crucem in qualibet materia expressam eundem Christum Dominum modo dicto repræsentare. Hoc non obscurè docuit Angelicus loco ci-

*s.Thom.* tato 3. p. cum ait. *Si loquamur de effigie crucis Christi, in quacumque alia materia (puta lapidis, vel ligni, argenti vel auri) sic veneramur crucem tantum ut imaginem Christi. Vbi videtur esse sermo de immediata repræsentatione Christi extenso corpore in cruce morientis.*

Consequentia suadetur, nam siue sumatur omnis alia crux ut ima-

go immediatè repræsentans crucem contactu, ac sanguine Christi dedicatam, & ea mediante Christum Dominum, siue ut immediatè referens eundem Christum, semper habet id quod est proprium imaginis cuiuscumque; vnde sicut quilibet imago ratione prototypi est adorabilis, quatenus saltem sumitur simul cum illo: ita loquendo de cruce in qualibet materia expressa, est enim consimilis omnino ratio, ut consideranti notum fiet. Tum etiam quia sicut æneus serpens, ex eo quod præfigurauerit Christum in Cruce exaltatum, fuit apud Hebræos veneratione, & cultu dignus, vti supra agentes de usu imaginum ostendimus: non apparet cur ob eandem repræsentationem cruces in omni alia materia formatæ non sint cultu aliquo, & veneratione dignæ: & tanto magis quanto iam de facto crucis figura actuali Christi morientis contactu dedicata est.

6. Confirmari hoc ipsum potest tu ex innumeris propemodum miraculis, quæ per crucis signum, tanquam per Diuinæ instrumentum omnipotentiæ patrata sunt, quoniam frequentius in Sacris Annalibus: tum ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, quæ & in Sacramentalibus, & in Sacramentis omnibus, per quæ supernaturalis Sanctitas communicatur, semper adhibet venerabile Crucis signum. Ex his enim non obscurè colligitur sanctitatem communicatam Cruci in qua Christus obiit, quasi à quodam fonte, & principaliori instrumento diffusam fuisse alias in omnes cruces, quæ illi in figura assimilantur ut dixit Photius Patriarcha, & quod mox aliquantò fusius explicabimus.

Notanda est ergo doctrina, cuius supra etiam meminimus, & quæ desumitur ex S. Tho: in 3. dis: 2. quest.

quest. i. art. i. quod , quia in homine quodammodo omnes naturae confluunt , quia cum omnibus creaturis aliquid commune habet , ut dicit Gregor : unde homine unito ( Verbo videlicet Diuino , de qua vnione ibidem loquitur Sanctus Doctor) quodammodo omnis creatura unita est . Ex quo principio nos deducimus , quod si per hoc quod in homine aliæ creaturæ nedum specie , verum etiam & ordine diversæ , suo modo existunt ; assumpta humana natura ad subsistendum per Verbi Personā , omnis alia natura ad eandem vniōnem , prout in homine existens , quodammodo euecta est . Vtique & nobis existimare licebit , quod hoc ipso quod Verbum Diuinum humanæ copulatum naturæ , per membrorum contactum , & pīj effusione cruoris figuram crucis dedicauerit , eamque prout in illa determinata materia existentem reddiderit adoratione dignam : Ita & omnis alia crucis figura , quæ secundum speciem vniuocè prorsus conuenit , cum ea quæ Christo mortienti adhæsit , reddetur cultu & adoratione digna : quatenus vt dixit citatus Patriarcha . Cum semel in ipso exemplari gratia & virtus exhibita sit , & usque ad exempla similis visse diffundar . Eo vel maximè quia in cruce Christi sanguine dedicata , maximè enituit virtus redemptiua , & quasi vltimum suum posse explicuit , iuxta voces Christi in ea expirantis Consummatum est , idest vltimum complementum , & metam attigit ( si meta infinito prefigere licet ) Incarnati Verbi virtus redemptiua .

7. Amplius , Subdit ibidem Sanctus Praeceptor . Congruum fuit Verbum Diuinum assumere naturam humanam , quia illa per talem assumptionem reparata , creatura irrationalis , quæ per ipsius peccatum quodam-

modo deteriorata dicitur , secundum quod in usum hominum cedit , restaurata est . Ecce Diuinæ Incarnationis virtutem ab humana natura , tanquam ab instrumento Diuinitati coniuncto , adeoque principaliori se diffudentem in irrationalia , quæ in homine veluti in mundi animato compendio reperiebatur . Ex quo sic discurremus , certum est aliarum figuræ crucis omnes individuales & numero distinctas formaliter contineri : quid ergo mirum si specie talis figuræ ex sēpē dicto contactu Christi sanctificata , ad reliquas solo numero diuersas eadem sanctificatio transfundatur , suo enim modo crux , in qua Christus obiit fuit instrumentum Christo per contactū , & approximationem coniunctum , ex quo in alias cruces virtus sanctificativa fuit diffusa . Et hoc perspicuè expressit S. Andreas Apostolus , qui à longè paratam sibi intuens crucem in hæc verba exclamauit : Salve crux , quæ in corpore Christi dedicata es , & ex membris eius margaritis ornata . O bona crux quæ decorum , & pulchritudinem de membris Domini suscepisti . Certè ea numerò crux Christum immediate non tetigerat : sermo est igitur ibi de specifica crucis figura , ad quam virtus crucis Christi fuit diffusa , & reddit a adorabilis .

Addit tandem quod sicuti magiæ artis cultores , ex præceptorum dæmonum præscripto , & ijs mediatis proprias perficiunt incantationes , quod ortum dicit fortè vel ex hoc quod dæmones ob peculiares fines determinatis delectentur figuris , vel irritati ex eo quod per crucis figuram seipso superatos esse experiantur . Ita Deus assumpit peculiarem eam Crucis figuram

ram ad Sanctos verosque miraculosos effectus producendos. Quapropter sicut ex magicæ figuræ sunt execrandæ, quia nocentissimæ artis instrumenta, & quodammodo sensibilia quædam arma, quibus demones in hominum corpora tyramnicæ dominationis sæuitiem exercēt. Ita salutare crucis signum Christi fideles aduersus eorumdem nequitiam obarmat, vnde de illo iure optimo dici potest quod supra ex Baronio num. 4. adduximus, nempè datum fuisse Ecclesiæ tanquam verum fortitudinis indicium, quo se à tyramnicæ potestatis iugo tuerit, & in cælestem sanctitatis amplitudinem seipsam de facili possit vindicare.

### S. III.

#### *Soluuntur hæreticorum argumenta.*

**H**AERESIM negantem & cruci in qua Christus mortuus est, & alijs crucibus adoracionem, primus inter omnes docuisse dicitur Claudius Taurinensis Episcopus, ut testatur Ionas Aurelianensis Episc: de cultu imaginum, cuius opera habentur 5. tomo Bibliot: Sacræ; claruit hic eodem tempore, quo prædictus Claudius ab anno videlicet 800. reparatæ salutis. Quem postea errorem sectati sunt hæretici quidam Pauliniani dicti, à quodam Paulo eorum Præceptore Petrus Brus, qui vixit ætate S. Bernardi. Vuiclefistæ, qui hanc hæresim post eorum magistri mortem, reliquis eiusdem addidere erroribus. Calvinus lib: instit. cap: 11. §. 7. Centuriatores centur: 4. Armeni. cap: 4. Alia via aduersati sunt Catholicæ veritati Armeni, qui, vt re-

fert Euthim: titulo 20. Panopliæ, cap: 14. non venerabantur crucem *Euthim.* nisi prius eam lauassent, & vnxissent sanguine sacrificij, & clavum in ea fixissent, antequam enim hæc peracta fuissent, eam adoratione indignam arbitrabantur, in quo non parum superstitionis cultus elucebat. Quibus omnibus extremè oppositus fuit superstitionissimus error Fausti Manichæi, qui teste Nostro Thoma Vuald: 3. tomo, cap: 160. dicebat omnem arborem esse veneratione dignam ob memoriam Crucis Christi, quocirca eius sectatores in quocumque ligno Christum colebant, adeoque formidabant poma ab arboribus euellere, vnde quantum pueriliter desipuerint, nemo non viderit. Vide S. Aug: lib: 20. *S. Aug.* contra Faustum cap: 11.

Primum hæreticorum argumentum adduxit S. Tho: loco citato 3. p. quod potest in hunc modum efformari. Crux Christi fuit instrumentum doloris, ac ignominiosæ mortis, quam idem Christus perpessus est, ergo nullatenus est adoranda. Antecedens constat quia tunc temporis maximi opprobrij nota erat in ea decidere, cum aduersus sic morientes habeatur Exodi 21. *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Consequentia probatur cum enim adoratio exhibeat rei excellenti, omnino ei aduersabitur hoc quod est illam tribuere instrumento opprobrij: Et sanè nullus filius honore afficiet patibulum, in quo pater ipsius vita functus fuerit.

9. Respondetur ex doctrina S. Tho: crucem Christi considerari posse dupliciter, primò vt subditam intentioni crucifigentium Christum, & hoc modo vtique fuit ignominiosæ mortis instrumentum, famulabatur enim sic sumptum Iudaice perfidiæ, eo vtenti ad prædictam mortem inferendam, & certè hoc modo

*Claud.  
Taur.  
Ios. Aur.*

*Paulinias*

*Petrus  
Brus.  
Vuiclef.*

*Calvin  
Centur.*

*Armeni.*

# DISPVTATIO VI. DVBIUM II. 281

Apost.

modo consideratum non censetur à fidelibus adoratione dignum . Secundò considerari potest , prout assumpta est à Christo ad hoc ut per eam humani generis redemptio vltimò executioni mandaretur; & hoc modo dubio procul fuit insigne gloriae trophaū, quod aperte ostendit Apos: ad Coloff: 2 . his verbis *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci: & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Et hoc modo , nedum censendum, est indecens, verum atiam sumpperè rectæ rationi consentaneum honorem ac reuerentiam illi exhibere .

S. Aug.

Per quod patet ad exemplum aductum; si etenim quis moriatur in patibulo in pñnam delictorum, nedum ex parte inferentium mortem , verum etiam ex parte eam tolerantis illud est ignominia instrumentum . Secus contigeret si quis ob tuēdam Reipublicæ salutē gloria morte defungeretur , vtiquè ipsa met virtus patientis in instrumenta retorqueretur ; quod patet in ijs instrumentis, quæ dum tyramnorum sceleri famulata sunt , non ideo ex martyru tolerantia negatur cōfessari . Vnde S. Atug: loquens de catenis quibus Petri corpus deuinctum est fer: 22 . de Sanctis inter alia hæc habet . *Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pñnaliū vinculorum . Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quantò magis catena vinciētis? Si inanis quedam species vacua imaginis, habere potuit in se vim salutis, quantò plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere Sacris impressa mēbris vincula passionis? &c.* Similiter ergo de cruce Christi dicendum .

*De Crucis Christi &c.*

Adde tantum abesse ut per adorationem crucis , quæ ex parte crucifigentium Christum fuit ignominia instrumentum , aliquod detrimentum Christi gloria patiatur , ut potius nitidius splendeat omnipotētia Sanctitatis ipsius : eò enim peruenit ut potuerit ipsum maledictionis subiectum , lignum videlicet crucis, in instrumentalem sanctificationis causam vertere , & opprobrij sedem, in aram sanctissimi holocausti commutare . Quare sicut ad ostendendam potentia virtutem pauperes , illiteratos rudesque elegit Apostolos , & armis sæcularibus exutos , ut armatas sæculi huius potestates deuincerent , & Christianæ iugo veritatis superba colla subijcerent . Ita & de crucis scādalo adorationis fecit obiectum . Vnde fit ut Verbum Crucis pereuntibus ( hæreticis videlicet ) stultitia sit , his autem qui salui fiunt , id est nobis , Dei virtus . Apost: 1. ad Chront: 1 .

Apost.

10 . Secundum argumentum . Si crux Christi esset adoranda , maximè quia contactu membrorum illius fuit sanctificata , sed hæc non est sufficiens ratio adorationis , ergo crux Christi non est adoratione digna . Maior liquet ex dictis . Minor probatur , quia si illa esset sufficiens ratio adorationis , etiam manus illius impij qui dedit alapam Christo esset veneratione digna , & id ipsum dicendum esset de Iabijs Iudæ , quæ Christum osculata sunt , & tandem de Asino cui Christus infedit , quod tamen afferere satis absurdum apparet: vndè nec ratione prædicti contactus lignum crucis dicendum erit adoratione dignum .

Confirmatur . Si adoranda essent quæ Christus tetigit , etiam adoranda essent quæ ipse vidit , sed hoc est falsum , ergo crux non erit adoranda ex contactu membrorum

N n

Christi

Christi Domini . Maior sua detur quia sicut sensatio tactus versata est circa tangibile , ita & sensatio visus attigit obiectum visibile , adeoque utrumque obiectum subditum est utriusque potentiae sensationibus , ab his enim habetur denominatio in earum obiectis . Hoc autem plus difficultatis videtur habere in sententia Thomistarum afferentium eandem numero naturam , quae reperitur in obiecto sub modo essendi naturali , reperiri in specie ut formalissime repræsentatiua , quamvis in ista habeat diuersum modum effendi ; inde enim fit ipsam obiecti naturam fuisse intra oculos Christi Domini , ex quo reddetur adorabile nedum obiectum tactus , verum etiam visus . Minor & consequentia sunt manifestæ .

P. Suar.  
11. Ad hoc argumentum eiusque confirmationem respondet P. Suar: tomo 1 . in 3 . par. disp: 56 . sec: 1 . Quod etiamsi contactus ille secundum se sit sufficiens adoracionis causa , sèpè tamen non expedire , ut ea quæ à Christo tacta sunt adorentur .

Et hoc vel quia non decet , vel quia res adoranda valde incerta est , vel cum alijs rebus necessariò coniuncta , quæ ad communes usus humanos deputatae sunt . Præsertim hoc dicendum de manu illa sacrilega , tum quia tactus ille prout ab illa persona grauissimum peccatum fuit : tum quia coniungitur personæ totali , in quam per se primo fertur adoratio . Nec est simile de obiectis visis , inter quæ & videntem nondatur realis aliqua coniunctio , nec inter illa resultat moralis quædam habitudo , neque res visa fit aliquo modo propria videntis : secus contingit in tactu , inter quæ & tangible datur realis coniunctio , & quidam usus eiusdem tagibilis ad proprias actiones , & passiones . Sic ille .

Verum hæc solutio non videtur adæquata , & aliundè continet aliqua à veritate aliena . Primū ostenditur , quia manus militis percutientis non debebat recipere Sanctitatem , prout actiù applicabatur ab ipso , adeoque prout erat grauissimum peccatum , sed prout passiuè tangebatur à Christo , in quo passiuo tactu manus nullum erat peccatum . Et ratio est , tum quia ipsa crux prout applicata à Iudeis non recepit Sanctitatem , sed prout passiuè tacta à Christo . Tum quia in receptione formæ , recipiens se habet ut passum , non ut agens , non ergo appetet cur Christus tangens manum non communicauerit illi sanctitatem , sicut eam cruci communicauit . Deindè ponamus militem qui percussit Christum ductum pænitentia euadere Sanctum , tunc vtique ratione totalis suppositi non repugnaret adoratio . ergo pro statu sanctitatis posset adorari manus ratione præteriti tactus , & consequenter cum tetigit percutiendo recepit sanctitatem à Christo , quia pænitentia ex qua deletum est peccatum non reddit manum adorabilem ratione contactus præteriti , nisi cum tetigit , eam recepit , hæc ergo pænitentia solum remouet impedimentum quod erat in persona totali , cui coniuncta est manus , adeoque supponit illam recepisse à Christo .

12. Nequè dicas manum illam etiam post pænitentiam militis non fore adorabilem propter sanctitatem à contactu Christi receptam , quia reuera eam non recepit , cum quando miles percussit peccauerit per illud instrumentum coniunctum Nam solutio P. Suar: videtur supponere manum illam quantum est de se recepisse sanctitatem à tali contactu , solumque impediri adorationem ex hoc quod ista per se primò feratur in personam totalem ,

per

per hunc enim loquendi modum virtualiter asseritur quod si adoratio posset per se primo ferri in manum , ei posset tribui, adeoque virtualiter supponitur in manu recipi sanctitatem , eius tamen adoracionem dari non posse, quia per se primo deberet versari circa personam totalem, ablato ergo impedimento à persona totali per pænitentiam , non est cur manus non sit adorabilis ratione præteriti contactus. Amplius non videtur verum quod adoratio quæ debetur alicui parti corporis ratione prædicti contactus debeat per se primo ferri in personam totalem , imo videtur oppositum dicendum , nam si adoratio debetur ratione contactus , ei per se primo debetur, quæ primo tangitur, siquidem quod per se primo tangitur, per se primo afficitur ratione formalis ex qua habetur adorabilitas, & ex hac communicatur toti , igitur per se primo ea adoratio ratione contactus deberetur manui, & non toti.


Quæ rursus dicuntur ad confirmationem etiam minus vera apparent, nam saltem species obiecti, visibilis est virtualiter ipsum obiectum, si ergo realiter species coniungitur cum visu , etiam obiectum realiter virtualiter coniungetur cum eodem visu , non bene ergo negatur omnis realis coniunctio. Ex hac etiam reali virtuali coniunctione resultabit moralis habitudo, saltem aliqualis. Maximè quia id quod est virtualiter tale, aliquo saltē modo equiuale ei quod est formaliter tale ut inducitio ne patet. Ex quibus deducitur etiam falsum esse rē visam non fieri aliquo modo propriā videntis, nam virtua liter sic propria fieri debet , cum species quæ sit propria visus sit virtualiter obiectum . Amplius omnis potētia cognoscitiva possidet obiectum, eoque proinde vtitur ad suas actiones & passiones intentionales,

*De Crucis Christi &c.*

sicut & tactus ad suas naturales; igitur non omnino per hanc responsionem tollitur difficultas .

13 . Secundò respondet P. Vas. quez tomo 1 . in 3 . par: disp: 111. cap: 6 . num: 22 : afferens adductas à P. Suar: rationes solum convincere labia Iudæ , & similia quæ Christum tetigerunt non esse publicè adoranda. Facilè enim qui vide ret , putaret Iudæ tribui eam adorationem ; Vnde nil obest , inquit ille , quod quis sin cera fide , & recta intentione , affectum & animum solum in Christum intendens, labia Iudæ & alia , quæ Christum tetigerunt reuerenter osculetur, idemque putat dicendum de Afino cui Christus insedit : refert autem hanc doctrinam ad eam , quam tradiderat disputatione præcedenti .

Hæc etiam solutio nobis non placet , tum quia supponit solam externalm adorationem exhibendam rebus à Christi contactu sanctificatis . Tum quia absolutè ac per se loquendo concedit labia Iudæ , & impij militis manum ex contactu Christi fuisse sanctificata , ac reddit a adoratione digna , nam solum putat non esse publicè adoranda ratione scandali , quod est impedimentum per accidēs , & extrinsecus adueniens ; quod tamen falsum esse arbitramur, vt melius ex dicendis innotescet ; alia ergo via soluendū à nobis est adductum argumentum cum sua confirmatione, quod præstabimus sequenti paragrapho , nam indiget explicatione aliqua , forte scitu non indigna .



## S. I V.

*Adducitur vera responso, & soluitur ultimum argumentum.*

14. **P**ro vera ergo solutione sciendum duplex satis communiter, saltem in schola Thomistica, distingui genus actionum: aliae sunt actiones, quae ex sui natura non reflectuntur peculiari modo supra suppositum illas exercens, atque adeo siue à vili, siue ab excellenti exerceantur persona eadem, sunt, gratia exempli, comestio, deambulatio, solutio debiti ad satisfaciendum iustitiae commutatiæ, siue à rustico, siue à rege exerceantur eadem prorsus sunt, neque enim vilitas, neque dignitas in ipsis aliquo modo inuoluitur. Aliæ sunt actiones, quae ex earum peculiari conditione ita reflectuntur supra personam eas exequentem, ut eius excellentiam inuoluant, & idcirco exercitæ à digniori supposito pluris estimantur, quam si à vili persona executioni mandarentur: hinc nemmo ambigit regem potentem veniam ab alio homine, in ea veniæ petitione exercere actum longè majoris estimationis, quam si eadem venia peteretur à rustico, id ex communi hominum sensu luce meridiana evidentius appareat.

Secundò notandum hoc quod asserimus de causa principali agente, proportione seruata intelligentium de instrumentis, quibus principalis causa vtitur ad easdem actiones executioni mandandas. Et ratio videtur perspicua: nam cum instrumentū, & causa principalis integrant unum adæquatum earundem actionum principium, oportet quod harum reflexio supra integrum hoc

principium fiat, sicut ab eodem integro principio procedit. Tertio nota sanctificationem refusam à Christo in ea quæ tetigit, non prouenire tantum ab eius puro & nudo contactu, sed etiam ex peculiari fine ad quem ponendum ab eodem Christo fuere assumpta. Nedum enim sanctitas principijs verum etiam & finis, in ea quæ ad ipsum eliguntur refunditur, vt patet in omnibus quæ ad cultum Diuinum sunt destinata. Hinc dixit S. Tho: 2. 2. quest. 99. <sup>s. Thom.</sup> art. 1. *Sicut ex eo quod aliquid ordinatur ad finem bonum sortitur rationem boni. Ita ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei efficitur quoddam Diuinum, & sic ei quædam reverentia debetur, quæ refertur in Deum.*

15. Nunc ad argumentum respondetur maiorem illius esse veram de peculiari quodam tactu membrorum, & sanguinis Christi, qui exercitus est circa crucem ipsius. Porro peculiaris huius tactus conditio sumitur tum ex parte actionis, quæcum esset & maximi opprobrij; & summa plena difficultatis, adeoque excellentissimo digna præmio, utique peculiari modo inuoluebat dignitatem, ac excellentiam patientis, & consequenter singulari prorsus modo reflectebatur supra suppositum. Et idcirco Apost: ad Philip: 2. huic actioni attribuit exaltationem nominis Christi dicens. *Humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, morie autem crucis, proper quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omnem nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur &c.* Et quia ut in Secundo notabili dictum est, reflexio excellentiæ actionis fit etiam supra instrumentum à principali agente assumptum ad eam actionem exercendam, satis manifestè constat ex illa multum sanctitatis reflecti <sup>App.</sup> *pra*

pra crucem Christi. Peculiaris rursum eius tactus Sanctitas habetur ex fine humanæ redēptionis, qui tunc vltimatè, ac complè executioni mandatus fuit, cum Christus in arā crucis seipsum in holocaustum Deo Patri obtulit.

Iuxta quem sensum neganda est minor argumenti, ad cuius probationem dicitur nec manū militis, nec labia Iudæ assumpta fuisse à Christo tanquam propria instrumenta, cum enim essent animata instrumenta & Iudæ & militis totallib[us] eorū suppositis subordinata, ipsis tantummodo non Christo famulabantur, & quamvis verum sit quod hæc instrumenta cum proprio incumbunt sceleri famulatæ sint Redemptori, hoc tamen illis conuenit ex superuenienti & extrinseco ordine, non verò ex vi assumptio[n]is, ut euénit in cruce, quæ hoc ipso quod esset instrumentum separatum, assumptum fuit à Iudeis ad exe quendam nequitiam, & eque bene assimi potuit, & de facto assumptum est à Christo ad excellētissimam eam exequendam actionem vnde non est simile.

16. Et sane non absq[ue] fundamento asserimus crucem fuisse à Christo peculiari modo assumptam vt redēptionis instrumentum, nam vt optimè aduertit Angelicus Præceptor loco citato 3. p. ad 3. Crux Christi peculiariter appellatur Signum filij hominis, quod apparebit in celo ut dicitur Matth: 21. Ideoque mulieribus dixit Angelus Iesum queritis Nazarenū crucifixum, non dixit lanceatum, sed crucifixum. Quasi dicamus crucem esse proprium stemma Christi: sicuti enim homines in gentilijs stemmatibus apponere consueuerunt ea, quibus vñ sunt ad gloriosum aliquod facinus exequendū. Non dissimiliter Christus qui domuit orbem non ferro,

sed ligno, vt dicit S. Augustinus.

Adde hoc esse discrimen inter coniuncta & separata instrumenta, quod illa hoc ipso quod informent eadem anima, qua totum vivit, etiamsi non recipiant intrinsecè malitiā peccantis, valde tamen ea fendantur, & deturpantur; secus instrumenta separata; hinc membra externa peccantium cruciabuntur pœna sensus in inferno: secus separata instrumenta, quibus peccatores vñ sunt ad peccandum. Ex quo si instrumenta coniuncta peccantibus reddi ex propria fæditate incapacia sanctificationis recipiendæ à Christi contactu. Non autem separata instrumenta, saltem vt subordinata Christo ea assumenti.

Quod dicitur de Asino cui Christus insedit, soluitur dicendo non esse adorationem propriè loquēdo ei exhibendam tū ratione indecentiæ: tum ad vitandum idolatriæ scandalum. Ex hoc autem quod Christo seruierit aliquam pro subiecti capacitate recepisse sanctificationem non inficias imus, id quod perspicuè constat ex historia Sacra enarrante vitam S. Ioa: Papæ & Martyris, de quo sic habes. Cum ei nobilis vir ad Corinthū equū, quo eius uxor mansueto utebatur, itineris causa commodaasset; factum est, ut domino postea remissus equus, ita ferox evaderet, ut fremitu & totius corporis agitatione semper deinceps dominam expulerit: tanquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Iesu Christi Vicarius. Quamobrem illi equum Pontifici donauerūt. Quid ergo mirum si dicamus Asellum Christo inseruētem ad triumphum, aliquam ex eo famulatu accepisse sanctificationem, aliquali dignum veneratione: cum id factum cernamus in equo, quo vñsus est Christi Iesu vices gerēns?

17. Ad confirmationem pri-

*Vita S.  
Ioa. Pap.  
& Mar.*

mō dicimus quod si loquamur de rebus visis prout existentibus in suis speciebus , ac coniunctis potentijs cognoscitiuis Christi, indubitatum videtur exhibendam illis adorationem , prout sic enim sunt aliquid Christi Domini . Si verò loquamur de obiectis visis liquet ex dictis nullam promereri adorationem, tum quia ratione modi essendi naturalis sunt realiter separata à Christo: tum quia eorum visio est mere naturalis , nec fuerunt assumpta vt instrumenta ad exequendum sanctissimū Incarnationis finem : tum demum quia incertissima sunt . Per quod tum patet ad omnia quæ ibi dicuntur ; tum ad id quod afferri posset de alijs quæ Christus purè tetigit, in eis enim solum aliquid sanctificationis fuit refusum , cum eiusmodi tactus peculiari modo non afferret secum excellentiam tangentis , nec haberet finis sanctitatem in se refusam , cum ad eum exequendum non fuerint assumpta tamquam instrumentum , vti de cruce Christi dictum est .

*Eccles.* Adde prædictam refusionem sanctitatis à Christo tangente factam , habuisse etiam dependentiam à libera voluntate Christi , cui peculiariter placuit singulari modo eam communicare cruci , vt ligno vinceret dæmonem , qui fructu ligni vicerat hominem, iuxta illud quod canit Ecclesia in hymno Sanctæ crucis .

*Hoc opus nostræ salutis  
Ordo depoposcerat  
Multiformis proditoris,  
Ars ut artem falleret,  
Et medelam ferret inde,  
Hostis unde læserat.*

Talis siquidem ordo summopere declarabat Diuinæ Sapientiæ ingeniosissimum artificium , quæ

de peccati materia , sanctificantis gratiæ fabricata est instrumentum. Ex his deducitur ea quæ de cruce dicta sunt , proportione seruata intelligenda esse de Spinea corona, de clavis , lancea flagellis , & si quæ sunt alia .

18. Ultimò contra secundam assertionē argui potest. Etiam Spongia , clavi , lancea , flagella fuerunt tactu Christi patientis consecrata , sed hoc non obstante omnia prædicta in quacumque alia materia elaborata non adoramus , ergo neque adoranda erit crux in quacumque alia efformata materia . Respondet S. Tho: concedendo maiorem , & minorem & negando consequentiā : assignat autem disparitatem inter crucem Christi contactū sanctificata , & reliqua passionis instrumenta , ex eo quod ista non representent imaginem Christi , sicut crux quæ dicitur signum Filij hominis , quod apparebit in cælo vt dicitur Matth: 21 . Hæc disparitas est ex nuper dictis manifesta , nam hoc ideo peculiariter cruci reseruatur , quia eius figura est ex peculiari electione assumpta à Christo tamquam signum humanæ redēptionis repræsentatiuum : eo quia per illud liberatio à peccato fuerit executio nī ultimo mandata : reliqua enim instrumenta passionis Christi cruce tanquam quid principalius respiciunt , atque adeo reducuntur ad illud . In quo suppositis ijs quæ diximus superuacaneum esset amplius immorari .



## D V B I V M II.

*Quenam Adoratio Sanctæ Crucis sit exhibentia?*

**S**Vb communi titulo dubij præsentis crucem omnem comprehendimus, hoc est siue sit illa in qua Christus propria morte, mortem omnium superauit, siue quæcumque alia crux in quacumque alia elaborata materia. Imo quod de cruce Christi dictum fuerit, erit proportione seruata intelligendum de alijs instrumentis passionis ipsius, quæ fuerunt Deifico cruore, & sacratissimo eiusdem cōtactu sanctificata, iuxta ea tamen quæ dubio precedentibz dicta sunt. Breuiter tamen adnotandum cum S. Tho: loco citato 3. p. crucem in qua Christus decessit sumi posse vel secundum quod est imago eiusdem in illa extensi, vel secundum quod corporeo eius contactu, & sanguine dedicata est. Et de ea utroque modo considerata hic sermo habendus.

## §. I.

*Præmittuntur aliqua circa Crucis usum scienda.*

19. **C**Vm de peculiari sanctæ crucis adoratione sit agendum, opportunum censuimus aliqua præmittere, quæ ad specialem eiusdem Sacrae crucis usum spectat, loquemur autem in hoc paragrapho ut satis ex se patet de cruce in qualibet materia efformata, quæ proinde crucem illam in qua Christus pependit, imo & crucifixum representat. Et primo quidem sciendum

ante Imperatorem Constantinum, ad fidem Catholicam conversum, latente adhuc sub modio crucis gloria, confueuisse Christi fideles nudam crucem absque Christo in ea pendente efformare, ad designandum tamen eundem Christum, Agnum ab origine mundi occisum, in ea pro humani generis salute, mortem oppetuisse, apponebant sub illa Agnum. Vnde cecinit S. Paulinus <sup>s. Pauli.</sup> sacrorum poetarū facile princeps, hæc carmina.

*Sub cruce sanguinea niueo star  
Christus in Agno.*

*Agnus, ut innocua iniusto datur  
hostia latro.*

Rationem huius consuetudinis ea tempestate vigentis adduxit author Romæ Subterraneæ lib: 6. cap: 20. his verbis. *Cum inter ipsa Ecclesia exorientis primordia crucis patibulum fontibus carnificum manibus puniendis adhiceretur, Christum Dominum, qui totus innocentia candidatus, pro nobis tamen velut culpis obnoxius cruci suffixus fuerat, haud clavis è ligno aliorum instar pendentem representare consueverant, ne videlicet qui nuper ad fidem accesserant ex Christi probrose crucis truncu affixi imagine, cui eadem forte die scelestum quæpiam, ac facinorosum hominem affigi conspexerant, eisdem cum fidei iniuria ex imagine probruni subreperet, & scandalum item, ac animi deliquium obtingeret: homines quippe triste, ac funestum eiusmodi spectaculum, ut humana fert consuetudinis ratio, & sensus ipse dictare videtur summopere exhorrent &c.* Alijs item modis fuisse apud fideles in more positum crucem exprimere, testantur plures cæmeteriales tabulæ in quibus diuersimodè expressæ cernuntur: præsertim verò inualuit usus sculpendi Agnum, crucis

crucis deferentem victoriale vexillum, ut indicio esset crucis ligno de tyramnico huius mundi principe, dæmone videlicet, triumphasse.

20. Piæ huic consuetudini obijcere quis posset canonem 82. <sup>6. Synod.</sup> Sextæ Synodi quo prohibetur prædicta crucis imago, cum dicitur. *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas, Agnus qui digito precursoris monstratur, depingitur, qui ad gratia signum assumptus est, verum nobis per legem Christum Deum nostrum premostrans. Antiquas ergo figuræ &c. subditur prohibitio sic pingendi crucem, & iubetur Christum cruci suffixum esse adiungendum.*

<sup>Baron.</sup> Dices eiusmodi Synodi canones nullius esse authoritatis quia ut luculenter ostendit Baronius tomo 8. Annal: anno Christi 692. canones illi non fuere à Romana Ecclesia recepti: imo Sergius Papa, qui eo tempore Christi vices gerebat eos expressè reiecit. Et hoc ideo quia putat adductus Baronius fuisse post dissolutam Synodus editos. Eä etenim Synodus coacta est solummodo aduersus hæreticos Monothelitas, expresseque moniti sunt Patres per Summi Pontificis legatos, ut dumtaxat de pertinentibus ad fidei dogmata agerent, atque adeo censemend canones ad mores spectantes, inter quos prædictus est adnumerandus, non fuisse ab eadem Synodo editos. Videatur Baronius ibi.

<sup>Surius:</sup> Verum enim verò quia de hoc Baronij asserto admodum dubitat Frater Laurentius Surius in admonitione ad lectorem, quam illi Synodo præmittit, probabiliterque suspicatur eiusdem Synodi canones legitimos esse, cuius motiuia apud ipsum videri possunt: vt omnis dubitationis umbra abigatur, dicendum verba prædicti canonis non

omnino damnare eam, quam descripsimus crucis imaginem, sed solum censere satius esse, declarata iam ubique gentium gloria crucis, amotoque omni scandali periculo, proponere fidelium pietati Christū ipsum è cruce pendentem. Videantur Turrecremata in Glossa ad præfata Synodus distinct: 3. can: 6. de Consec: & Adrian: Papa in epist: ad Tharasium Patriarc: Constantinop: quæ habetur in septima Synodo ac: 2. afferentes Sextam. Synodus non damnare crucis imaginem, ad cuius basim depictus sit agnus: sed quia hic graficè designat Christum Dominum; melius esse Christum ipsum figuratum per Agnum cruci superaddere: cum evidentior sit res figurata sua figurali imagine: & aliundè summoperè congruat redemptionis maximum beneficium clarè omnibus esse manifestum.

21. Præterea sciendum à prima Catholicæ Ecclesiæ ætate consuetum fuisse apud Christi fideles cruces ex auro, ac qualibet prætiosa materia elaborare, easque pretiosis distinguere lapillis, plura de piissimo hoc more scripta reperies in libro de Adoratione Crucis, cuius author est. S. Ioa: Chyostomus; meminit etiam eiusdem consuetudinis Septima Synodus actione 4. paulo post medium §. Stephanus Dei amantissimus Diaconus &c. vbi etiam enarratum reperies insigne miraculum ex lib: de Martyrio Procopij, in cuiusdam enim prætiosissimæ crucis ab Aurifice affabré factæ superiori parte apparet Hebraica dialecto scriptū Emmanuel, & utrinque in summitate alarum Michael, & Gabriel:

Tertiò non indignum etiam notatu censuimus in vestibus quarundam cæmeterialium imaginum sculptas inueniri quatuor has litteras

ras T. X. I & H. relictis autem duabus posterioribus, quæ non spētant ad prēfens institutum, siquidem illis venerabile lēsu nomen significatur, de duabus prioribus hic aliquid breuiter dicendum. Prima ergo crucem exprimit, nam per tale elementum prēnotatur signum Thau. de quo in hūc modum loquitur Ezechiel cap: 9. Et dixit Dominus ad eum transi per Ciuitatem, in medio Hierusalem, & signa Thau per frontes virorum gementium, & dolentium, super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio eius &c. Et postmodum loquens de ijs, quæ nobilissimo hoc charactere fuerint signati, subdit. Omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis. Hæc verba exponens Orig: hom: 8. de Epiph: hæc habet. In Ezechiele Propheta, cum omnes, qui missus fuerat occidisset, illi tantummodo sospites reseruantur, quos Thau littera, id est crucis pictura signauerat. Et sanè ipsamet prædictæ litteræ figura crucem significare non obscurè demonstrat, cum parum ab eiusdem crucis figura distet.

22. Eandem pariter crucem secunda littera X. demonstrat, vt perspicue fatis appetet in figura illa decussatæ crucis, in qua S. Andreas triduo pependit. dicitur autem decussata, quia littera X. sicut apud antiquos, ita & apud huius seculi homines numerū denarium significat. Vnde credimus inductos fuisse fideles ad designandam crucem per talam litteram, cum prætium redemptionis nostræ in ipsamet cruce fuerit Diuinæ persolutū iustitiæ. Vterque igitur prædictus character crucem exprimere videtur. Quod, loquendo de secundo elemento, non parum confirmatur ex eo; quod habet Baronius Anno Christi 312. num. 25. vbi loquens de Labaro illud esse obseruandum ait, quod

*De Crucis Christi &c.*

per duas litteras, nēpē P. & X. ita dispositas vt P. intersecet X. sic transuersum exprimi simul Christi nōmē, & crucis signum, ut crux in Christo, & Christus in cruce mōstretur, per X. enim crux licet transuersa notatur, quam in rectam lineā sic alij deducebāt (vt sic transuersū intersecaretur à P. Et id quidem hoc scāculo: in cemeterio enim Priscillæ, via Salaria tabula effossa est cum eiusmodi inscriptione, atque signo ad finem posito. Videri potest ibidem, nam aliquas Labari formas, in quibus prædictis characteribus, exprimuntur Christus, eiusque crux, & plura alia de crucis imaginibus habentur: sed hæc pauca adnotasse sufficiat nē Theologici limites instituti nimium excedamus. Consuli etiam potest author Romæ Subterraneæ tomo 2. in indice verbo *Crux*.

23. Ut demum innotescat, quam merito Catholica Ecclesia, eiusque Fideles frequenter adeò crucis signo vtantur, & quantum utilitatis afferat eo se præmunire. Sciendum ex Angelico Præceptore 3. p. quæst. 83. art. 5. ad 3. quod crucis signatio exprimit passionem Christi, eo quia ad illam fuit terminata. Hinc deducit tantam esse crucis virtutem, vt consecratio Eucharistiae, acceptatio, & fructus sacrificij missæ procedat ex illa. Et propterea quoties Sacerdos in missa alicuius ex prædictis mentionem facit, crucis signatione vtitur. Ex hac Angelica doctrina duo licet inferre; primum crucem ipsam, in qua Christus mortuus est, fuisse instrumentum, in quo maximè virtus passionis Christi explicata est, ex hoc, quod in illa fuerit eadem passio consummata: eo ferè modo, quo cum existētia sit actus ultimus, ac complementum essentiæ, in ea maxima nitet perfectio, & licet ante illius aduentum res dici possit

Oo absolu-

Baron.

grecb.

Origen.

S.Thom.

absolutè bona , non tamen perfecta , de quo alibi . Ita ergo quoad præsens seruata proportione . Nec apparet omnino improbabile , eam virtutem passionis Christi perseuerare adhuc in eodem crucis ligno , sicuti permanet in Sacris Stigmatis bus eiusdem Christi Domini , quæ etiam nunc in glorificato ipsius corpore retinentur . De quo videri possunt N . Compluti in phisica disp:

N. Cöpl. 12 . num. 62 .

Secundò deducitur , talem virtutem deriuari etiam ad quamlibet crucis signationem , quæ à Christi cruce solum quoad materiam , non quoad formam , seu figuram specie differt , & ideo crux Christi practicè eius passionem signat ex eo , quod illius virtutem deriuet ad alias crucis signationes , si deuoto aliquo cum motu in predictam passionem exerceantur . Quod non obscurè habetur ex doctrina S. Doctoris 3 . p . quæst . 87 . art . 3 . dicentis , Episcopalem benedictionem cooperari ad venialium remissionem , quod intelligendum credimus , dummodo pio nuper dicto affectui fuerit coniuncta . Quam doctrinā . Nugnez super eundem articulū ait probabile esse extendi ad quālibet particularē sacerdotis benedictionem . De quo tamē nihil modo , id enim spectat ad tractatum de Ecclesiæ Sacramentalibus . Videri demum possunt S. Dionys: cap: 4 . 5 . & 6 . de Ecclesiastica Hierar: & S. Aug: ser: 181 . de tempore , afferentes , in omnium Sacramentorum administratione crucis signum adhiberi: ex eo , quod sit quedam Christianæ Religionis protestatio: hinc frequentissimus eius usus summoperè commendandus . Iuxta illud S. Hier.

S. Diou: S. Angu: ron: ad Eustoch: de Custodia Virgin: Ad omnem actum , ad omnem incessum , manus pingat crucem . His de Sanctissimo crucis usu præmissis ad

peculiarem eius adorationem expli- candum accedimus .

## s. II.

### Duplici assertione dubium deci- ditur .

24. **D**icendum est primò : Crux , in qua Christus mortuus est , sumpta ut quid unum cum ipso Christo , seu tangente , & consecrante illam , seu repræsentato per eandem , adoranda est eadem adoratione latriæ , qua adoratur Christus . Hanc assertionem expressè docuit S. Doctor 3 . p . quæst . 25 . art . 4 . vbi , s. Thom . vt optimè notauit Caiet: S. Doctor propriè loquendo non retractauit sententiam , quam docuerat in 3 . dist: 9 . quæst . 1 . art . 2 . quæstiun: 4 . nempè crucem Christi solummodo adorandam adoratione latriæ , vt imaginem Christi in ea extensi: at secundum quod est res Christi , membrorum ipsius contactu & sa- guine consecrata , dignam dumtaxat esse adoratione hyperduliae: hūc inquam dicendi modum solum in 3 . p . ampliauit dicendo etiam hoc posteriori modo consideratam pro- mereri adorationem latriæ . Vnde reprehendit Durandum , & Capreolum afferentes S. Tho: retractasse , quod in libris senten: docuerat . Ve- rum hoc parum refert , cum potius ad modum loquendi , quam ad rem ipsam pertineat . D. Tho: sequuntur omnes eius discipuli & Antonius de Corduba alios referens , lib: 1 . Cordub: quæst . Theolog: idem docet P. Suar. tomo 1 . in 3 . p . disp: 56 . sec: 1 . concl: 2 . Eam autem primò probat S. Tho: loco cit: in 3 . sen: ex hymno crucis , quam Ecclesia car- mine illo alloquitur . O crux ave spes Eccl. unica , ex hoc enim apparet eodem Hymn: loquendi

S. Hieron.

loquendi modo vti circa crucem, ac erga crucifixum, quarè id, quod de oratione dicitur, asseri optimè potest de adoratione. Id ipsum colligitur ex S. Hieronymo tomo 1. epis: 17. ad Marcell: dicens *Venerabantur Iudei propitiatorum: non nè tibi venerabilius videtur sepulchrum Christi, quod quotiescumque ingredimur, iacere in sindone cernimus Salvatorem.* Plures alias auctorit: videre poteris apud alios de hac materia scribentes, quas breuitatis causa omittimus.

25. Probatur nunc ratione S. Tho: Talis debet esse adoratio, qualem exigit proxima ratio terminandi illam, sed proxima ratio terminans adorationem crucis exigit adorationem latriæ, ergò eiusmodi adoratio tribuenda est cruci Christi, duabus predictis modis considerata. Maior videtur per se nota, cum actus speciem desumaturà proxima ratione terminandi illum, ab ea enim constituitur illius formale obiectum, vt inductione constat. Minor probatur, breuiter aduentendo ex S. Tho: adorationis actum propriè loquendo versari dumtaxat circa suppositi intellectualis excellentiam, ex hoc, quod omnis irrationalis creatura sit naturaliter loquendo homini subdita, eoque inferior. In inanimata ergò cruce non dabitur aliqua ratio terminans adorationē simpliciter, sed omnis hæc habebitur à persona Christi, cuius excellentiæ coniuncta poterit coadspirari ad adorationem totius coniuncti: quia ergo Christi excellentia Diuina promeretur latriæ adorationem, haec ipsa erit cruci exhibenda sumpta simul cum Christo, seu contactu corporis sui eam consecrante, sed ex hoc, quod per illam vt in cruce extensus representetur. Id etiam probari posset ex dictis supra de sacris imaginibus, quas vt

*De Crutis Christi &c.*

non ponentes in numero cum exemplaribus, adeoquè formalissimè sumptas eadem adoratione dignas censuimus, ac earumdem propria exemplaria.

Confirmatur, loquendo præser-tim de cruce Christi, secundum quod est res illius. Crux hoc modo considerata est potissimum instrumentum Christi consummantis opus nostræ redēptionis, ac meritum illius, prout se extendit ad corporis gloriam, suique nominis exaltationem, ergò crux prout formalissimè gerens hoc munus instrumenti, quo modo nunc de ea loquimur, digna erit cultu latriæ eidem Christo tribuendo. Antecedens ex communi satis Theologorum doctrina, est manifestum, de quo in materia de Incarnatione. Consequentia suadetur: quia instrumentum vt tale non ponit in numero cum causa principali, cuius seruitio totaliter destinatur; vnde ad finem causæ principalis, & per virtutem ab ea participatam tendit: ex quo fit, principale agens, & instrumentum, & ex parte principij, & ex parte finis sic colligata esse, vt pro uno, & eodem facile possint reputari: atque adeò vt sic colligata vnum, eundemque latriæ actum principali agenti debitum terminabunt. Quod maximè verum habet, cum instrumentum materialiter sumptum nullam habet intrinsecam rationem terminandi adorationem latriæ, quod in præsenti contingere nemo ambigit.

26. Dicendum est secundò, quilibet crux in qualibet materia elaborata, vt formaliter ratione figuræ repræsentat Christum in ea extensem, & secundum quod cum illo coniuncta consideratur, est digna pariter adoratione latriæ. Nota: nos in hac assertione loqui de cruce, vt immediatè repræsentante

O o 2 Christum

Christum ratione propriæ figuræ specificè conuenientis cum figura eius crucis , in qua Christus pependit , de cruce enim ut repræsentante immediate cruce , in qua Christus Deo Patri oblatus est , mox dicetur . Conclusio ergò sic explicata probatur primò eisdem authoritatibus , quibus præcedens probata est in hac enim repræsentatione conueniunt , sicut in figuræ dispositione . Eius etiam ratio sumitur ex superiori dictis de Sacris imaginibus , quæ , vt non ponentes in numero cum exemplaribus sunt dignæ eadem adoratione , ac earum propria prototypa , nam eadem militant ratio quoad præsens , siquidem crux prædicto modo considerata est per se primò ad repræsentandum instituta , & consequenter habet rationem imaginis .

Ex quo colligitur , hoc esse discrimen inter cruces ex qualibet elaboratas materia ex vna parte , & crucem , in qua Christus obiit ex alia , quod in ista etiam destructa crucis figura , in qualibet eius sacra-tissimi ligni particula perseverat consecratio aliqua ex præteritis sanctissimi corporis , & sanguinis Christi contactu , & profusione proueniens , vi cuius remanet adoratione latræ digna , prout videlicet simul cum Christo consideratur . At in illis remota crucis figura , nulla remanet in ijs lignis ratio , quæ cultum aliquem promereatur , cum solū eo dignæ fuerint ratione figure , vt ostendimus . Sequitur rursus , quod si à cruce Christi præscindamus Christum repræsentatum per illam , non esse illi nisi adorationem secundum quid exhibendā , ratione extrinsecæ prorsus excellentię Christi Domini , quam adorationem suprà cum D. Bonaventura honoriam venerationem appellauimus , idemque dicendum de qualibet alia

cruce , vt ratione suæ figuræ immediate Christum repræsentat Quod si quilibet alia crux sumatur , vt immediate repræsentat crucem Christi vel sumitur ut repræsentat crucem Christi simul cum Crucifixo , & tunc eius adoratio reducetur ad eam , qua adoratur crux Christi simul cum Christo ; vel crux repræsentans respicit crucem Christi , & ab isto præscindit , & tunc eius pariter adoratio reducetur ad illam , qua adoratur crux Christi , vt ab isto præscindens , quam diximus esse venerariam honorationem . At quid dicendum de cruce , quæ ex preterito Christi contactu consecrata fuit , si sumatur ut præscindens à Christo tangentे ? dicetur infra dubio quarto .

### s. III,

*Respondeatur contrarijs argumentis .*

27. **A** Duersus S. Doctoris sententiam adduci possent hæretici , qui vniuersaliter loquendo omnem adorationem cuilibet cruci denegarunt , sed quia hos supra dub. præced: adduximus , iterum referre non oportet , quarè solum breuiter occurremus , ea verò præsertim militant aduersus eam partem primæ assertionis , qua docuimus crucem Christi , vt ex eius contactu sanctificatam dignam esse adoratione latræ . Et primo loco soluendum id , quo S. Tho: vsus est ad ostendendum crucem , in qua Christus obiit , secundum quod est res ipsius tactu consecrata adorandam dumtaxat adoratione hyperduliz , quæ sic efformatur . Id solū adorari potest eadem adoratione latræ , qua Christum colimus , quod sumi potest vt faciens quid quod

vnum cum Christo , sed hoc solum competit cruci Christi secundum , quod est illius imago , non vero prout res eiusdem , ergo hoc posteriori modo sumpta non est adorabilis adoratione latræ . Maior constat ex dictis , imo & minor quoad primam illius partem : quantum ad secundam eam probat S. Doctor quia crux in quantum est res quædam , non pertinet ad personam Verbi vt pars illius , vnde non appetet quo modo possit sumi , vt faciens quid vnum cum illa . Consequentia liquet .

Respondetur concedendo maiorem , & negando minorem quoad secundam illius partem quantum uis enim crux non sit pars humanitatis assumptæ à Verbo Diuino , potest nihilominus secundum alias rationes sumi vt faciens quid vnum cum Christo : vt enim liquet ex dictis , crux fuit instrumentum principale Christi patientis per approximationem , & contactum eidem coniunctum : & quia virtus causæ principalis derivatur in instrumentum , & istud dirigitur in eumdem finem ab eadem causa principali intentum , sit inde , vt tum ex parte principij , tum ex parte finis ita coadunentur , vt optimè quid vnum censeri possint , & consequenter eudem adorationis actum terminare . Quod explicari posset exemplo , quo vtitur S. Doctor 3 . p: loco adducto nempè purpuræ Regis , quæ vt ipsum tangens , eique coniuncta coadoratur ad adorationem Regis . Maximè : quia signo crucis , vt vidimus supra num. 23 . peculiari modo significatur , ac exprimitur passio Christi Domini , adeoque ipse vt patiens , signum autem , & res signata sumi possunt vt substantia eidem cognitioni , qua simul proponuntur voluntati , ad hoc , vt ista per eundem adorationis actum vtrum-

que attingat . Habet autem passionem significare , quatenus hæc in illa fuit ultimò consummata , vt ibi diximus , vt ergo est res à Christo assumpta ad consummandam passionem suam , ac complendum opus Incarnationis adorari potest eadem adoratione , qua Christus .

28. Secundò arguitur Si crux eodem modo accepta esset adorabilis per actum latræ , esset adorabilis per excellentiorem actum , quæ sit ille , quo adoramus Beatissimam Virginem , atqui hoc videtur absurdum , ergo crux prædicto modo considerata non erit adorabilis eadem adoratione , qua Christus . Sequela est manifesta : cum Beatissima Virgo adoretur per hyperdulizæ actum ; qui est latræ actu inferior . Minor suadetur , quia intimiori prorsus contactu Beatissima Virgo coniuncta est Christo Domino , quæ Crux , vt satis ex se patet . Tum rursus : quia ex eiusmodi contactu maior omnino excellētia redundauit ex Christo in Virginem , quæ redundauerit in crucem : virtus enim Diuina eo vberiori modo se transfundit in creaturas , quo istæ fuerint eius recipiendæ magis capaces , euidens est autem Sanctissimam Virginem , vtpotè rationale suppositum , maiorem habere capacitatem , quam habeat inanime crucis lignum .

Confirmatur . Si ob aliquam rationem crux Christi , vt res illius esset digna adoratione latræ , maximè ob contactum , vi cuius sumi potest , vt faciens quid vnum cum tangente , sed hoc videtur falsum , ergo crux Christi , vt res illius non erit adorabilis eadem adoratione , qua Christus . Maior constat ex dictis . Minor suadetur , quia Christus in ascensione sua penetrans cœlos , eos omnes tetigit : sicut & ianuas clausas , quas penetrando ad discipulos

discipulos post resurrectionem ingressus est. Imò nunc cælum empyreum pedibus suis tangit : & tamen nemo dicer, hæc omnia adorabilia esse adoratione latræ quare cum omnino similis tactus versatus fuerit circa crucem, in qua Christus cessit è viuis, non appetet, quo modo propter illum exhiberi possit cruci latræ adoratio.

Respondetur ad argumentum: quod per se loquendo negari potest maior illius, siquidem etiam Beata Virgo adorari potest eadem adoratione, qua Christus, si sumatur ut faciens quid vnum cum illo, tum quatenus mater, cuius relatio inuoluta terminum, cum quo, sicut est simul cognitione, ita & adoratione esse potest: tum quia, sicut crux, ut instrumentum Christi Redemptoris eodem actu adoratur, ac Redemptor, cum quo non ponit in numero in ratione vnius adæquati principij causantis redemptionem: ita & Virgo, cui etiam eiusmodi ratio instrumenti excellentissimè conuenit. Adhuc tamen non debet publicè, saltem ut sic adoranda, proponi, non quia hoc sit intrinsecè malum, sed quia, cum omnes rem non ita facilè penetrant, ut oportet, & præsertim rudes, proprium conceptum huic adorationi seruientem distinctè formare, ut in plurimum, ignorent oriretur inde periculum idolatriæ: maximè cum rationalis creatura sit capax propriæ excellentiæ, adeoquè per se adorabilis: secus si fuerit sermo de cruce Christi, quæ cum primò menti occurrit citò appetet, eam non esse adorandum ratione sui, sed dumtaxat coadordanam ad adorationem Crucifixi. Vide quoad hanc doctrinam.

*Caietan* Caiet: 3. p. quæst. 25. art. 5. Pat:  
*P. Suar.* Suar: tomo 2. in 3. p. disp: 22. sec:  
2. in principio.

29. Huic tamen doctrinæ ali-

quid addendum duximus, sciendum itaque, quod licet ea verissima sit loquendo de Beatissima Virgine, secundum quod ab illa per externam natuitatem separatus erat Christus Dominus: non videtur tamen esse eadem prorsus ratio de Beatissima Virgine, ut gestante in utero eundem Christum Dominum, siquidem ut docet Angelicus Præceptor p. p. quæst. 114. art. 5. ad 3. *Puer quandiu est in materno utero, non totaliter est à matre separatus, sed per quandam colligationem est quodammodo adhuc aliquid eius sicut & fructus pendens in arbore est aliquid arboris.* Et quo appetet quod etsi mater, & puer in utero illius existens habeat diuersas realiter animas rationales, atque adeò sint diuersa simpliciter supposita, adhuc tamen puer censemur aliquid matris. Ex hoc autem sicut deducit Sanctus Doctor, quod probabiliter dici potest quod Angelus, qui est in custodia matris, custodiat prolem in materno utero existentem. Sed in natuitate quando separatur à matre, Angelus ei ad custodiæ deputatur. Non dissimiliter & nos inferimus, non improbabiliter dici posse, Virginem gestantem in utero Christum absolutè, & simpliciter adorari potuisse adoratione latræ, nam hæc versata fuisse circà totum consurgens ex matre, & filio, ut est aliquid illius, sicut voca Angeli custodia circà matres alias ac pueros dum earum in uteris gestantur. Quapropter tunc securius, & absque idolatriæ periculo potuisset latræ adoratio Virgini exhiberi. Quod etsi à nemine notatum viderimus, illud tamen in Virginis obsequium adjicere visum est.


Secundò respondetur negando pariter maiorem, ad cuius probationem dicendum, quod etsi terminare actum latræ ratione propriæ excellentiæ

S. Thom.

excellentiae sit quid excelle<sup>t</sup>ius, quam terminare hyperdulie actum; nihilominus coadorari solum latria ad adorationem totius coniuncti, ita & taliter ut in eo, quod coadoratur non sit alia ratio formalis terminandi latriam, quam illa, quæ est in alio sibi coniuncto, solum dicit maiorem excellentiam secundum quid talem, quam dicat id, quod per se loquendo ac ratione propriæ prorsus excellentiae per hyperduliam adoratur, sic enim adorari simpliciter excedit id, quod prædicto modo coadoratur. Sic autem contingit in præsenti, cum tota ratio adorandi crucem per latratiā reperiatur in Christo Domino, secus contingit in Virgine, quæ ratione propriæ omnino excellentiae per hyperduliam adoratur. Sicut enim, quia instrumentum agit in virtute alterius, quamvis nobilissimum effectum producat, est simpliciter imferius causa principali, in virtute propria attingente effectum imperfectiorem: ita quoad præfens proportione seruata. Per quod patet ad utramque minoris probationem, non enim inconuenit, crucem excellentiori secundum quid modo adorari, quam adoratur Virgo, dummodò hæc simpliciter illam in ratione terminandi adorationem excedat.

30. Ad confirmationē respondeat S. Doctor loco citato in 3. senten: dist: 9. assignando disparitatē, quæ sita est in eo, quod cælum non referatur ad Christum, tanquam aliquid illius: secus loquendo de cruce, & alijs eiusmodi, quæ ad Christum tanquam aliquid illius referuntur. Pro huius intelligentia primò recolendum, quod diximus dubio præced: num. 14. & sequentibus, non ex quolibet puro contentu Christi sequi, rem tactam statim esse adorabilem, sed requiri, ut

peculiariter ab eodem Christo assumatur tanquam ipsius instrumenta, in ordine ad peculiares, & satis excellentes actiones, ut ibi explicatum est. Ex quo apparet quod licet Christus penetrando cælos, & clausas ianuas, hæc tetigerit, non indè consequitur statim esse adoranda, quod voluit. S. Doctor cum asseruit, cælos non referri ad Christum tanquam aliquid illius. Secundò sciendum: cælum empyreum esse communem sedem, ac patriam Dei Christi, & Beatorum, vndè ad omnes istos communiter refertur, non verò peculiariter ad Christum: licet ergò ratione prioris relationis aliquam accipiat sanctificationem, vnde Dominus Matth: 5. ait Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est &c. indè tamen non habetur adorandum eadem adoratione, quæ adorantur Deus, Christus aut Sancti. Oppositum contingit in cruce peculiariter assumpta à Christo, vt instrumento redemptionis humani generis, & propter alia, quæ numero citato explicuimus, vndè propriè loquendo dicitur aliquid illius, & sic absolute, vt vidimus, signum filii hominis appellatur. Aduersus aliam partem eiusdem assertionis, sicut & contrà secundam, suppositis ijs, quæ dicta sunt de sacris imaginibus, nihil se offert solutione dignum. Qui plura pertinentia ad Crucem desiderat, consulat P. Gresser, Societate Iesu, qui tomum integrum de ea typis mandauit. nobis hæc dixisse sufficiat, ne aliena ab instituto nostro tractemus.



## D V B I V M III.

*Virum Sanctorum Reliquiae sint  
adoratione dignæ?*

**A**N nomine sumendo exordium, reliquiæ de quibus potissimum hic est sermo significant aliquam partem corporis quod informatum fuit anima rationali eius personæ, quæ inter Sanctos, aut Beatos ex Ecclesiæ autoritate connumerata est: quicquid autem de ijs dictum fuerit, erit proportione seruata intelligendum de alijs, quæ eorumdem Sanctorum quondam hominum contactu, aut vsu, aut alio simili modo, quoddam quasi sanctificationis genus acceperunt. Tanta etenim est Sanctitatis bonitas, ut seipsum maximè diffundat, & via etiam sua inauret prætiositate perfectionis, ut eis venerationem conciliet.

## §. I.

*Conclusio auctoritate, & prima ratione probata.*

**D**icendum est. Sanctorum reliquias esse pio cultu, & adoratione dignas. Hanc assertiōnē strenuē propugnauit S. Hieronymus aduersus Vigilantium hæresiarcham, eamque definierunt plura Oecumenica Concilia, inter quæ est Nycæna secunda Synodus act: 7. in confessione Fidei, circā finem. Et rursus can: 7. eiusdem Synodi habetur, templa non esse absq[ue] Martyrum reliquijs consecranda. Videri etiam potest Concilium Gangrense can: 5. Tandem,

Oecumenica Tridentina Synodus sess: 25. h[oc]c habet Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium Sancta corpora, quæ viua, membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse. Quæ definitio indicat, rationes quibus mox vtemur ad propositam assertionem suadendam, videntur que desumptæ ex Angelico Præptore 3. p. quæst. 25. art. 6. vt ex infrâ dicendis notum fiet. Hinc adducta conclusio est de Fide illamque concorditer docent Sancti Patres, omnesque huius materij Scriptores, quapropter ab eis singillatim referendis abstinemus.

Solum potest in controversiam vocari, an ea efficaciter probari possit auctoritate Sacrae Scripturæ, ita vt in illa expressè habeatur. Hac de re loquens R. N. Domin: à Sæc. Dom. Trinit: in sua Biblioth: Theolog: lib: 4. sec: 11. cap: 3. concl 9. ait, solum non obscurè insinuari in Sacra Scriptura, atque adeò in ea expressè non haberi, vnde hanc catholicam veritatem vnā esse ex ijs, quæ formaliter, & expressè habetur dumtaxat ex Diuina traditione. Melius tamen videtur asserendum: satis perspicuè ex eadem Scriptura haberi, ita vt quamvis præcisa Diuina traditione, & absque conciliorum definitionibus, non posset hæc conclusio ex solidi Scripturæ testimonijis, vt de fide decerni: adhuc tamen, & temerarium, & errori proximum, effet negare, hoc dogma non contineri in Sacra Scriptura. Dicimus ad ita existimandum ex eo, quod narratur 4. Regum cap: 13. nempe ossa S. Prophetæ, & Patris Nostrí Elisei suscitasse à mortuis cadauer cuiusdam, in eiusdem sepulchrū projectum, nam vt ibidem asseritur.

Cum

Synod.  
Nycen.Concil.  
Gang.

# DISPVTATIO VI. DVBIUM III. 297

<sup>4 Reg.</sup>  
<sup>Ad. Ap. 13.</sup> Cum tetigisset ossa Elisei renixit homo,  
& stetit super pedes suos. Rursus in-  
Actib: Apost: cap: 19 . dicitur Vir-  
tutes non quaslibet faciebat Deus per  
manus Pauli , ita ut etiam super lan-  
guidos deferrentur à corpore eius su-  
daria , vel semicintia , & recedebant  
ab his languores , & Spiritus nequam  
egrediebantur .

32. Ex quibus hunc in modū  
arguimus . Ex Sacra Scriptura ex-  
pressè habetur , ossa S. Elisei , &  
sudaria , ac semicintia D. Pauli ve-  
ra fecisse miracula , sed saltem in  
rebus inanimatis vera operatio mi-  
raculorum importat hoc , quod est  
esse adoratione aliqua dignum , er-  
go posito , quod in sacra pagina ex-  
pressè habeatur reliquias vera fecis-  
se miracula , ita expressè habetur  
esse venerandas , vt errori proximum  
omnino sit , negare reliquijs cul-  
tum , & adorationem aliquam . Ma-  
ior probatione non indiget , vnde  
qui eam negaret apertè contradice-  
ret Scripturæ , & censendus esset  
hæreticus . Minor suadetur præci-  
pue quantum ad inanimata , quæ  
sunt incapacia peccati , adeoque  
nihil habet venerationi repugnans ;  
ex operatione autem veri miraculi  
efficaciter deducitur veneratio , il-  
lud operatis , vnde cultus imaginum ,  
veritas Christianæ Religionis , &  
similia ex veris probatur miraculis .  
Hinc vt ipsemet docet eodem lib:  
4. sec: 2. cap: 7 . non longè ab ini-  
tio , colligimus aduersus hæreticos  
apertè ex Diuinis Scripturis , quod  
quoties Deus nouum Religionis ri-  
tum , nouamque legem tradere  
voluit , id per signa , & miracula  
fecit . Et propterea S. Doctor 3 . p.  
quæst. 38 . art. 2 . ad 2 . docet con-  
uenientissimum fuisse S. Ioa: Bapti-  
stam , cuius tota doctrina , & ope-  
ratio ordinabatur ad Christum , mi-  
racula non operari . Nam si Ioannes  
signa fecisset , homines ex aquo Ioanni ,  
De Crucis Christi &c.

& Christo attendissent . Et ideo vt ho-  
mines principaliter Christo intende-  
rent non est datum Ioanni facere mi-  
racula . Posito ergo , quod ex Scri-  
ptura expressè habeatur , vti reuera  
habetur vera miracula per reliquias  
fuisse facta , temerarium prorsus ,  
ac errori proximum esset negare  
cultum reliquijs . Quod adnotasse  
voluimus non animo contradicendi ,  
sed vt maiorem firmitatem commu-  
ni adderemus assertioni : quæ rursus  
probari potest ex antiquissima tra-  
ditione , à prima Ecclesiæ Catholi-  
cæ ætate , ad hæc usque tempora  
numquam interrupta , qua habetur  
semper viguisse cultum Sancti rum  
reliquiarum : de quo videri possunt  
Sacri historici ; nos conabimur ra-  
tiones S. Tho: à Tridentino indigi-  
tatas , pro viribus explicare , vt vel  
tætillum lucis sanctissimæ huic con-  
ciliemus veritati .

33. Primam rationem ex S. Tho.  
desumptam in hunc modum possu-  
mus efformare . Sanctorum corpo-  
ra fuerunt animata Spiritus Sancti  
templa , ea inhabitantis , sed ex hoc  
eorum reliquæ censendæ sunt ad-  
oratione aliqua dignæ , ergo Sanctorum  
reliquæ aliquam à nobis exi-  
gunt adorationem . Maior habetur  
expressè ex Apost: 1 . ad Chor: 6 .  
vbi loqués de iustis ait: *An nescitis ,  
quoniam membra vestra templum sunt  
Spiritus Sancti , qui in vobis est , quem  
habetis à Deo . Hæc verba exponens  
Angelicus Præceptor inquit . Est  
autem Spiritus Sanctus principaliter  
quidem in cordibus hominum , in qui-  
bus Charitas Dei diffunditur per Spi-  
ritum Sanctum , ut dicitur Roman:*  
5 . Nomine cordis intelligit S. Do-  
ctor iuxta communem Sacrae Scri-  
pturæ phrasim voluntatem , in qua  
per se primo , vt in subiecto quo , re-  
sidet Charitas . Sed secundario etiam  
est in membris corporalibus , in quan-  
tum exequuntur opera Charitatis .

Circa quam Spiritus Sancti inhabitationem etiam animaduertendum venit, iustos eorumque corpora, nedum esse templa Spiritus Sancti ratione gratiae sanctificantis creatæ, aliorumque donorum supernaturalium eam comitatum, verum etiam ratione ipsius Spiritus Sancti, qui secundum sui substantiam peculiari modo vnitur cum iustis: quod fusè probant N. Sal: trac: de Trin: disp: 19. dub: 5. Et clarissimè docuit S. Thom: in 1. dist: 14. quest: 2. art: 1. cum ait. *Respondeo dicendum, quod ipsemet Spiritus procedit temporali progressione, vel datur, & non solum dona eius.* Ex hac autem substantiali Spiritus Sancti inhabitatione secundario se extende ad Sanctorum corpora, nemo non videt quantum dignitatis, & excellentiæ illis communicatum fuerit.

Minor suadetur: quia solum obstatre posset hoc, quod est talem inhabitationem iam præteriisse, quatenus anima, qua mediante corpus sanctificationem accepit, ab isto fuerit separata: hoc autem non obstat: tum quia semper ea materia conseruat habitudinem ad animam, eiusque sanctitatem, & ad præteritam Spiritus Sancti inhabitationem, quæ hoc ipso, quod aliquando fuerit, et si physicè præterierit, conseruat quodammodo denominationem possessi, adeoque præsentis per respectum ad præsentiam, quam habuit: & propterea delectationis actus, quæ est quies voluntatis, atque adeò ex natura sua postulans obiectum aliquo modo præsens, ac possessum, nedum fertur ad id quod physicè est præsens, sed etiam ad id, quod fuit aliquando sic præsens: quiescit enim appetitus, non solum habendo rem prius desideratam, sed quia fuerit illi præsens: quantumuis ergo ea inhabitatio præ-

rijet, dum tamen fuit præsens reliquit quandam determinationem, ratione cuius possit quodammodo nunc dici præsens: quod maximè confirmat S. August: authoritas, adducta à S. Tho: loco cit: 3. p. lib: 1. de Ciuit: Dei cap: 13. dicentis. *Si paterna vestis, & annulus, ac si quid est huiusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes est maior affectus: nullo modo ipsa sprenenda sunt corpora, que utique multò familiarius, atque coniunctius, quam qualibet indumenta gestamus, hec enim ad ipsam naturam hominis pertinent.*

34. Tum etiam, quia ex ipso naturalis luminis diætamine habetur, pietatis quoddam genus esse, corporibus defunctorum aliquod impendere obsequium: vt etiam barbararum consuetudo gentium testatur: id autem non aliundè ortum ducere videtur, nisi ex hoc, quod corpus rationalis animi, quæ inter reliquas corporum formas principatum tenet, fuerit habitaculum: et si ergo Sancti Spiritus inhabitatio præcesserit, adhuc congruentissimum erit, fideles cultu, ac veneratione prosequi ea corpora, quæ quondam Sancti Spiritus præsentia nobilitata, Deitatis fuere consecrata contactu: pientissimum est enim gratiæ genium, cum sit urbanissime æquè ac amantissimæ mater Charitatis.

Confirmatur, & explicatur magis adducta ratio; breuiter tamen supponendo, consueuisse solummodo Fideles Sanctorum venerari reliquias: Porro ad sanctitatis dignitatem consequendam, non sufficit quæcumque iustitia, sed requiritur heroica: & propterea ad sanctorum canonizationem oportet probare, Sanctorum albo conscribendos heroicis claruisse virtutibus. Heroica autem

autem virtus ea est, quæ communiter virtus purgati animi nuncupatur: adeoque tunc eam credimus haberí, quando pars inferior superiori perfectè admodum fuerit subiecta: & consequenter ita passiones sensitui appetitus moderatæ, vt promptè, ac delectabiliter imperia superioris exequantur, nec ullo modo, aut minimo saltem iussis eius rationis, quæ æternis consuendis ac conspiciendis attédit, relucentur. De quo tamen alibi fusius.

35. Nunc efformatur confirmatio. In viris sanctitate præclaris fuit iustitia, seu gratia cum virtutibus eam concomitantibus in gradu heroico, ergo Spiritus Sanctus nedum eorum animos, verum etiā & corpora singulari quodam modo præsentia Deitatis suæ sanctificauit, ergo sanctorum reliquiae sunt veneratione dignæ. Antecedens supponitur certum ex communi doctrina tradenda alibi, cum sit sermo de requisitis ad Sanctorum canonizationem. Prima consequentia suadetur, quia cum per heroicæ virtutis acquisitionem amota fuerint impedimenta, tenentia se ex parte corporis, & istud consequenter quantum status naturæ reparata patitur, factum sit animæ subditum, uberrimo modo Spiritus Sanctus communicatur, ita ut per animam descendat ad corpus, nullo ex parte huius inuento obstaculo: eo fere modo, quo per dotem subtilitatis purgata corporis, ac materię crassitie rationalis animus perfectè illud possidet, & ad suum esse spirituale, & immortale quodammodo trahit, & euehit: ita per heroicæ virtutes amotis obstaculis immoderantæ passionum, & inobedientiæ partis sensitivæ ad rationalem, & superiorem, peruidit, ut sic dicamus, Spiritus Sanctus animam, eaque me-

*De Crucis Christi &c.*

diæte pertingit usque ad corpus iuxta illud Psalmi 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuu* Secunda consequentia liquet ex dictis.

Huius confirmationis doctrinam tetigisse videtur Angelicus Praeceptor cum 3. p. quæst. 25. art. 6. dixit corpora Sanctorum esse adoratione digna, ex eo, quod fuerint organa Spiritus Sancti: nam per hunc Joquendi modum denotare voluit, ea fuisse facile mobilia ab eodem Sancto Spiritu, qui ijs vtebatur tanquam instrumentis, ex heroico virtutum exercitio optimè dispositis, ac habilitatis in ordine ad sua imperia executioni mandanda: etenim sicuti organicæ corporis partes obediunt animæ informantib[us] illas ad nutum, ita ut dixerit S. Aug: lib. 8. conf: cap: 10. Imperat animus ut moueat manus, & tanta est facilitas, ut vix à seruitio discernatur imperium: non dissimiliter sanctorum corpora, quæ heroicis purgantibus virtutibus hospiti Spiritui Sancto præparata, sunt in habitaculum. Ita verum efficitur, quod, dixit S. Tho: expōnens citatum Apost: testim. n. 33. quod Secundario etiam est in membris corporalibus, in quantum exequuntur opera Charitatis. Sunt enim modo exposito increati amoris obedientissima instrumenta, & organa maximæ consonantiæ.



## §. I I.

*Duae aliæ rationes propositam assertionem suadentes.*

36. **S**ecunda ratio ex eodem D. Tho: desumpta in hunc modum proponitur. Sanctorum corpora configuranda sunt Christo per gloriosam resurrectionem, sed ex hoc promerentur aliquam adorationem, ergo sanctorum corporum reliquiae sunt adoratione dignæ. Maior habetur ex Apost. ad Philipp: 3. dicente *Reformabit corpus humilitatis nostra configuratum corpori claritatis suæ*. Minor suadetur ex expositione Angelici Præceptoris in adducta Apost: verba dicentis: eiusmodi configurationem, ac reformationem faciendam ex hoc, quod *quemadmodum corpus Christi est glorificatum per gloriam Diuinitatis suæ, & hoc meruit per suam passionem: ita similiter quicumque participat virtutem Diuinitatis per gratiam, & passionem Christi imitatur, glorificabitur*. Ex quo deducimus vnde in sanctorum corporibus habetur cōdignitas ad adorationem propter futuram glorificationem.

Primo igitur habetur ex gratia sanctificate afferente secū ipsum Spīritū Sanctum, qui primariò residet in anima, & secundariò se extendit ad corpus, vt ratione præcedenti ostensum est. Et ratio huius est, quia cum gratia sit semen gloriæ determinat subiectum, in quo est, illudque sigillat ad futuræ formam gloriæ. Eo ferè modo, quo dispositiones antecedentes sigillant materiam, eamque determinant ad peculiarem formam: ita vt quamvis in generationis instāti non sint, sufficit tamen, vt in tempore præ-

cedenti, in quo erat compositum, corrumpendum præfuerint. Non dissimiliter quoad præsens gratia sanctificās, quæ virtualiter, seu semi-naliter est gloria futura, tāgens extensione illa secundaria corpus Sancti, relinquit in illo sigillationem, & determinationem ad futuram gloriæ formam, & quamvis separata anima Sancta à corpore, in iusto gratia non remaneat, satis est, quod præfuerit tempore coniunctionis eiusdem animæ ad corpus, ad hoc vt in illo prædictam sigillationem, & determinationem ad futuram gloriæ formam relinquat.

37. Evidenter id apparebit ex doctrina, quam habet Angelicus Præceptor p.p. quest. 119. art. 1. dicens, quod *sicut de veritate humana naturæ in cōmuni est anima humana, & corpus: ita de veritate humana naturæ in Petro, & Martino est hac anima, & hoc corpus; quæ est communis sententia in schola Thomistica, in materia de principio individuationis*. Habet indè, animam sanctam à sancto corpore separatam non deperdere mutuam colligationem, nec per mortem dissolui fædus semel initum, solumque cessare vñionem, vnam partem ligantem intrinsecè cū alia: huic tamen succedere mutuam extremorum habitudinem, quantumcumque fuerint partes separatione distantes: conseruat proinde corpus sigillationem, & determinationem intrinsecam ad animam, nedum tanquam ad formam naturalem, sed etiam vt ad sanctitatis suæ primarium subiectum, ex quo sicut semel deriuata est gratia sigillans ad gloriam, ita deriuabitur in futuro gloria virtualiter in ea sigillatione præhabita. Quapropter sicut posito, quod de facto corpus simul cū anima formaliter glorificatū sit adoratur: ita vi prædictæ sigillationis virtualiter gloriam

gloriam præhabentis , ac corpus separatum ab anima affientis , erit istud adoratione dignum .

38. Secundò habetur ex imitatione passionis Christi. Pro cuius clariori intelligentia notandum ex N. Salm. N. Salman: trac: de vitijs , & pecc: disp: 14. num. 126 . Quod si rigorosè loquamur Christus non meruit pro nobis, illius enim meritum non transit formaliter ad nos, ita ut formaliter fiat meritum nostrum , aut nos faciat merentes: alias paruuli cum solo decedentes baptismo cōsequerentur gloriam per meritum , atq; adeo hæc esset eorum rigorosū præmium, non verò mera hereditas, quod est absurdum . Itaque Christus propriè loquendo meruit nobis , ac proinde eius meritum formaliter non transit ad nos , sed nobis relinquit locum , vt verè mereamur , & consequenter vt habeamus meritum à Christi merito distinctū. Hinc sit, meritum nostrum esse præmium meriti Christi Domini , quatenus hic per modum causæ vniuersalis tribuit condignitatem , & valorem merito nostro. Hoc posito.

Imitatio passionis Christi , quæ in Sanctorum corporibus præcessit, vel ex hoc quod ad Fidei veritates tuendas usque ad mortem inficta, vulnera , & acerba tolerauerint tormenta : vel quatenus per assiduam, sensibilium passionum mortificationem , & carnis macerationem se Christo patienti conformauerint; hæc , inquam , imitatio reliquit in eisdem corporibus determinacionem pariter ad futuram gloriam : iuxta illud Apost: ad Romanos 8. Si compatimur , ecce nostrum meritum , & gloriæ seminarium , ut & glorificemur ; en forma quam prædictæ passiones , & virtuosæ tolerantiae promerentur . Quæ verba, commentario suo illustrans Angelicus Præceptor ait , Considerandum

est , quod Christus , qui est principalis heres , ad hereditatem glorie peruenit per passiones Luce ult: Nonne oportuit Christum pati , & ita intrare in gloriam suam . Non autem nos debemus hereditatem facilitiore modo adipisci , & ideo nos etiam oportet per passiones ad illam hereditatem peruenire . Ex quo apparet Sanctorum corpora non præcisè per futuram gloriam reddi adoratione digna, sed per præteritas passiones Christi patientis imitatices , quæ etsi præfuerint , reliquerunt tamen in corporibus virtuale meritum futuræ gloriæ . Vnde semper adorantur ratione eius , quod phisicè præteriit, sed de præsenti duplice nūc modo exposito perseverat. Quæ tamen ex dicendis dubio sequenti clarius innotescunt .

39. Tertia ratio , quæ est S. Tho: sub hac forma proponitur . Deus ipse Reliquias honore afficit, ergo conuenientissimum erit à fidelibus adorationis actu honorari . Antecedens quod solummodò probationem desiderat probat S. Doctor ex eo , quod Deus per sacras illas sanctorum exuuias miracula operatur : in qua probatione primò supponitur per reliquias facta fuisse & quotidie fieri miracula quod suppositum innumeris propemodū sacrarum historiarum monumentis conuincitur: in quo proinde non est immorandum . Secundum , in honorem reliquiarū cedere, eas esse ad miracula patranda instrumentales causas : quod etiam de facili ostēdi potest : honor enim iuxta Theologos sequentes S. Tho: 1. 2. quæst. 2. art. 2. & alibi definitur , Protestatio de excellentia alterius . Porro eiusmodi protestationem de excellentia reliquiarum fieri à Deo , asseriente illas ut instrumentalia miraculorum edendorum principia ostenditur , tum quia ut ait S. August: Epist: 49. quæst. 6. Sicut humana

*mana consuetudo verbis, ita Diuina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba noua, vel minus usitata, mediocriter, & decenter aspersa splendorem addunt: ita in factis mirabilibus consequenter aliquid significantibus, quoda modo luctucentior est Diuina eloquentia.* Sunt ergo miracula panegyris quædam, in laudem reliquiarum à Deo facta, cum eas ad miracula patranda assumentis, omnipotentiæ suæ consortes efficiat, redditque sibi cooperatrices ad supernaturale opus exequendum: In hoc etiam multum honoris eis confert, quatenus illis communicat virtutem quandā supernaturalem intrinsecam, ut redantur idonea instrumenta ad miracula efficienda, quod etiam in alijs Dei supernaturalis authoris instrumentis contingit.

### §. III I.

#### Respondetur Hæreticorum argumentis.

40. **E**rrorem asserentem, Sanctorum reliquias non esse cultu, ac veneratione dignas docuerunt Eunomius, & Vigilantius vti refert S. Hieronimus: illos secuti sunt Lutherus, Calvinus, Centuriatores, & alij nostræ etatis hæretici. Primo itaque arguit aduersus Catholicam veritatem Vuiclef ex illo Lucæ 11. vbi Christus arguens legis peritos in hunc modum loquitur *Vè vobis qui adificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos, profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem adificatis eorum sepulchra.* Vbi Christus videatur redarguere superstitionis legis

*Eunom.  
Vigilant  
S. Hier.  
Lutherus  
Caluin.  
Centur.  
Vuiclef.*

peritos, cum dicit, eos consentire delicto eorum, qui prophetas occiderunt.

Antequam huic argumento directè respondeamus, sciendum ex Nostro Tho: Vualden: tomo 3. cap: 14. Nullum esse ex Sanctis Patribus, ac Sacrae Scripturæ interpretibus, qui asserat ornatum monumentorum improbari: nam & apud Iudæos tituli, & sepulchra iustorum in honore semper sunt habita, neque id unquam fuit vitio superstitionis notatum. Id autem possumus primò probare ex eo, quod narratur 15. cap: S. Marci, vbi dicitur Ioseph: ab Arimathæa, qui Christi erat discipulus, adeoque & ab omni superstitionis vitio alienus, posuisse eiusdem corpus Christi in sepulchro nouo, ac in petra exciso; ex quo apparet sepulchrum illud cælaturæ arte fuisse ornatum. Secundo ex adducto Euagelij textu id apparet, nam legis periti redarguuntur hypocrisis à Christo Domino, quia sepulchra Prophetarum exædificarent: constat autem vitiū hypocrisis incurri ex hoc maximè, quod opus secundum se bonum, prava aliqua intentione operantis vitietur, vt si ab eo fiat vt videatur ab alijs, non vero ex intentione Deo placendi, sed ad aliquam dignitatem, vel temporalem finem consequendum.

Deinde directè respondetur dicens, Christi repræhensionem ferri in Iudæos, quatenus externo eo honore exhibito occisis Prophetis, per sepulchrorum erectionem occultare volebant prauum cordis affectum, quo Christo Domino Prophetarum Principi necem machinabantur. Quæ expositio satis perspicue colligitur ex eo, quod Sanc. Matth. cap. 23. post adducta verba ex Luca addit: *Dicitis si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus*

*Thom.  
Vual.*

*S. Mar.*

*semus socij eorū in sanguine propheta-  
rū Itaq; testimonio estis vobis metip̄sis,  
quia filij estis eorum, qui prophetas  
occiderunt. Et vos implete mensuram  
patrum vestrum. Quæ posteriora  
verba permissuè intellecta deno-  
tant, eos seruare in cordis intimo  
voluntatem implendi mensuram  
patrum suorum, adeoque occiden-  
di Christum, & ad id occultius,  
adeoque securius exequendum,  
gloriari ijs verbis si fuissimus in die-  
bus patrum nostrorum, non essemus  
socij eorum in sanguine prophetarum.  
Et rursus ad eandem necis machi-  
nationem secretius celandam, vti  
ea sepulchrorum erectione, qua ap-  
parenter ostendebant velle se pro-  
phetarū honori, ac gloriæ consule-  
re, & consequenter improbare ne-  
cem prophetarum ab eorum patri-  
bus executioni mandatam. Qui  
plura circa hoc voluerit consulant  
P. Vasq: tomo 1. in 3. p. disp: 112.  
cap: 3.*

*Deuter. 41. Secundò arguit Calvinus  
ex illo Deuter: vltimo, vbi asse-  
titur Deum ministerio Angelorum  
abscondisse corpus Moysis, ita vt  
nullus hominum cognoverit sepul-  
chrum eius. Et de hoc corpore lo-  
quitur S. Iudas Apost: in sua Cano-  
nica cum ait, diabolum cum Mi-  
chaele Arcangelo altercasse: vole-  
bat enim diabolus prædictum cor-  
pus detegere, illudque adoran-  
dum exhibere Hebræis: prohibitus  
est autem à Sancto Michaele Iudai-  
ci populi patrono, cui incumbebat  
onus amouendi omnem idolatriæ  
occasionem: ex quo deducit Calui-  
nus, haberi ex Scriptura, illicitum  
esse Sanctorum corporibus, etiam  
post illorum mortem, cultum ado-  
rationis tribuere. Addit illud Apos:  
2. ad Chorin: 5. dicentis, Et si cognou-  
imus secundum carnem Christum,  
sed nunc iam non nouimus; quo loco  
ait nos edoceri, vt in Christo so-*

*Ium id quod spirituale est quæra-  
mus, atque adeò spernendas om-  
nes eius carnales reliquias. Tan-  
dem adducit eundem Apost: ad  
Coloss: 2. hæc scribentem. Nemo  
vos educat, volens in humilitate, &  
religione Angelorum, quæ non videt  
ambulans. ijs itaque verbis dam-  
nare intendit gentium doctor cul-  
tum voluntarium, à Deo non isti-  
tutum, & huiusmodi dicit esse reli-  
quiarum sanctorum venerationem.*

*Confirmari hoc ipsum posset ex  
canone Concilij Eliberitani, qui est  
34. vbi prohibetur, sepulchris cæ-  
reos interdiu accendi ne spiritus  
defunctorum inquietentur. Et hoc  
ipsum docuit S. Hieronym: post  
epis: 53. contra Vigila: num. 17.  
dicens eos cæreos accidentes ha-  
bere quidem zelum Dei, sed non  
secundum scientiam, cultus ergo  
Sanctorum reliquiarum est illicitus.*

*Respondetur ad primum testimo-  
nium ex S. Aug: in libro de Mira-  
bilibus Sacræ Script: cap: 35. ibi  
enim loquens de occultatione præ-  
dicti corporis, inquit *Duabus autem  
causis, ut sapientes aiunt, mortis eius,*  
& sepulchri *nemo conscius erat: quatenus*  
*illam faciem, que consortio ser-  
monis Domini rutilauerat, mortis  
mærore repressa nullus videret.* Et ne  
sepulchrum eius populus Israel, si co-  
gnouisset ubi esset adoraret. Vnde &  
virgam, in qua signa fecerat ut pluri-  
mi putant, ne adoraretur secum abstulerat. *Quoniam & serpenti quem fece-  
rat filij Israel postmodū adorabant.* Ex  
prima huius responsionis parte cla-  
re admodum id, quod in conclu-  
sione docuimus, habetur, est enim  
non leue reuerentiæ signum detur-  
patam mortis squallore faciem oc-  
cultare, ne præsentis iniuria dede-  
coris præteritæ gloriæ refulgentiæ  
probro esset: vnde & consentaneum  
erit Deum imitari, & sanctorum  
corporibns præterito gratiæ niture  
secundariò*

secundario affectis cultum, ac reuerentiam exhibere. Id quod etiam magis declarat obsequium illi corpori præstitum, cum Angelorum ministerio fuerit occultatum: etenim sicuti quod anima Lazari dela-  
ta fuerit ab Angelis in Cælum, ut habetur Lucæ 16. ostendit obsequium illius Sanctitati exhibitum; non dissimiliter quoad præsens:

42. Ex secunda eiusdem responsoris parte colligitur, solum adfuisse idolatriæ periculum respectu rudis illius populi, satisque ad superstitionem propensi: secus respectu fidelium post Verbi Diuini Incarnationem, quod satis constare potest ex ijs, quæ supra de imaginibus dicta sunt, vnde nihil ex ea aduersus nostram assertionem efficaciter conuincitur. Per quod patet ad id, quod affertur ex Canonica S. Iude: quamvis illud Apostoli dictum alias etiam habeat expositiones, & ideo non est cur adductæ alligemur.

Ad id, quod affertur ex epistola ad Chorin. primo dicitur, Caluini expositionem satis esse extortam, nec aliquo nititur fundamento. Secundò respondetur, longe diuersum & sublimiorem valde esse eorum verborum sensum, quem optimè attigit ingeniosissimus epistolarum S. Pauli commentator S. Tho: qui, reiecta primum falsa interpretatione à Manichæis adhibita eisdem verbis, lectione 4. hæc habet: *Alio exponendum secundum veritatem, & dupliciter. Vno modo, ut sumatur hic caro pro corruptione carnis 1.*

S. Thom. Chor: 15. caro, & sanguis &c. Et tunc est sensus, et si cognouimus aliquando Christum secundum carnem, id est habere eum carnem corruptibilem ante passionem, sed nunc iam non nouimus, scilicet eum habere carnem incorruptibilem, quia ad Rom:

6. dicitur Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur. Alio modo &c. subdit aliam respositionem, imo & tertiam addit, sed utramque, licet inuiti, breuitatis causa omittimus.

Ad aliam authoritatem respondet pariter Angelicus Praeceptor, ostendens lec: 4. germanum eorumdem verborum sensum, dum ait. *Seducunt in humilitate isti pseudointroductores legalia, quia utebantur simulata sanctitate. Sanctitas autem in duobus consistit, scilicet in humili conuersatione, & cultura Dei. Isti autem ostendebant humilem conuersationem, cum apparebat, eos non curare de rebus mundi, & ideo dicit in humilitate. Eccles: 19. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Item dicebant, se predicare ad renentiā Dei, & ideo dicit & religione Angelorum; Religio enim est secundum Tullium, que cuidam naturæ, que Divinam vocant cultum, & ceremoniam affert 2. ad Thim: 3. habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et secundum Glos: legitur sic in religione &c. quia per hoc intendunt quod videantur esse Angelii, id est nuntiū Dei Matth: 7. Attendite a falsis prophetis &c. Vel in religione Angelorum ad litteram, quia vetus lex est tradita per Angelos in manu mediatoris Gal: 3. Heb: 2. Si enim qui per Angelos datus est sermo, factus est firmus &c. Et isti dicebant, cultum legis esse obseruandum, quia tradita erat per Angelos. Grauiissimas has expositiones aliarum scripturarum semper testimonijs firmatas, si cum puerilibus à Caluino adductis contuleris, videberis velle aquilam cum vespertilio componere; hinc consulto solo Thoma ut voluimus, ne à Praeceptoris nostri vestigijs recedamus. Alia adducit P. Vasq: quæ apud ipsum videti poterunt loco citato*

tomo 1. in 3. par. disput: 112.

Ad confirmationem respondetur primo canones illos non fuisse ab Ecclesia receptos, vt ostendimus, supra agentes de vsu Sacrarum imaginum, vnde non est cur præmamur illius auctoritate. Aliter respondet P. Vasq: putans, & quidem admodum probabiliter, solum eo canone prohiberi superstitionis cultum, cum in eo subdatur inquietandos non esse spiritus mortuorum. Idem intendit per adducta verba S. Hierony: de cuius mente circa legitimum reliquiarum cultum dubitare non licet, cum ipsum strenue propugnauerit. Quapropter solum remouere voluit errorem putantium per cæreos illos martyres illustrari; quod utique superstitionem redolet venerationem.

43. Deinde ratione arguitur. Si Sanctorum corporum ossa, eorumque sacri cineres sub eorum propria forma essent adoranda, etiam adoranda essent sub forma vermiculii sed hoc dici nequit, ergo nec illud primum. Sequela maioris suadetur quia sub vermiculii formis perseuerat eadem materia, quæ fuit sub sanctis animabus, & quæ rursus post nouissimum diem est glorificanda. Minor, & consequentia videntur manifestæ. Confirmari id posset ex abusibus, qui circa talem adorationem irreperserunt, ad quos amouendos satius esset cultum reliquiarum omnino vetare. Eo vel maxime, quia magna reliquiarum pars videtur supposititia, cum plures, ac diuersæ Ecclesiæ seu idem corpus, seu eandem partem illius habere contendant.

Respondetur ad argumentum, relicita solutione Herr: quodl: 11. quest. 6. cuius doctrina communiter repudiatur, negando sequelam majoris & ratio eam negandi est, tum indecentia, quæ in vermiculii adora-

*De Crucis Christi &c.*

tione appetet, ad quam in morali materia valde est respiciendum, vnde non obstat sub illorum formis eandem perseuerare materiam. Tū rursus quia sub formis ossium, ac cinerum facilius Sanctus ipse apprehenditur, secus sub vermiculii animabus, vnde non est similis ratio.

Ad confirmationem quoad primam illius partem dicitur: etiam in pluribus alijs, ijsq: sanctissimis Ecclesiæ ritibus contingere non semel abusus, & tamen non ideo ij sunt abolendi, sed curandum eos amouere; quod & praestitit Concilium Trident: sess: 25. vetans ne fideles visitatione reliquiarum ad commissiones, & ebrietates abuantur. Quoad secundam partem dicendum adhiberi moralem prudentemque diligentiam, quæ in repariter morali sufficit ad vitandam culpam: eo vel maxime, quia etsi aliquando error contingat est dumtaxat materialis, quem omnino vietare humanas superat vires, vt in pluribus alijs posset ostendi. Non immoramus in referendis aliquarum reliquiarum historijs, ex quibus piæ ille contentiones exortæ sunt, quia id est à nostro instituto alienum. Videri tamen potest Ferrandus

Anjciensis è Societate Iesu,

in opusculo cui titulus,

Ferrand.

*Disquisitio reliquia-*

*ria,*



## D V B I V M I V.

*Quænam Adoratio Sanctorum.  
Reliquijs sit exhibenda?*

44. **S**I Sanctorum Reliquiæ considerentur formaliter ut sunt aliquid illorum, atque adeò prout ad illos referuntur est ex superioribus dictis manifestum, eas adorandas esse per eundem actum, quo Sanctos colimus, est enim eadem prorsus ratio de illis, ac de sacris imaginibus, ac de cruce Christi prout fuit ipsius contactu consecrata, & cum eodem Christo Domino non ponit in numero. Loquimur ergo de Sanctorum reliquijs ut præscindentibus ab eisdem Sanctis, quas supponimus in statu coniunctionis animæ sanctæ ad corpus fuisse secundariò à Spiritu Sancti præsentia inhabitatas, & virtutum heroicarum exercitio sanctificatas. Eo ferè modo, quo dissoluta figura crucis Christi, adhuc illius partes retinent hoc, quod est fuisse præterito membrorum Christi contactu sanctificatas, vnde etiam erit sermo de cruce hoc modo sumpta præscindente tamen à Christo per suum contactum sanctificante, est enim de omnibus istis eadem ratio, ut satis ex se appareat.

## S. I.

*Vnica conclusione præsens dubium deciditur.*

**D**icendum est, Sanctorum reliquias modo nuper dicto præscindentes adorari posse adoratione secundaria, elicita ab eodem habitu, qui est principium actuum, qui-

bus Sanctæ personæ illis correspondentes adorantur. Ita P. Suar: tom: 1. in 3. p. disp: 55. sec: 2. concl: 2 - qui hoc ipsum assertuit de imaginibus, idemque docent alij. Circa mentem D. Tho: nihil certi haberri potest, non enim egisse videtur de imaginibus, aut de reliquijs consideratis sub hac præcisione, iuxta quam loquimur.

45. Probatur itaque quoad primam partem ratione. Ad hoc ut sanctorum reliquiæ sub nuper dicta præcisione terminent secundarium adorationis actum requiritur, ut simpliciter intrinsecè habeant rationem formalem terminandi illam, sed Sanctorum reliquiæ adhuc sub ea præcisione habent huiusmodi rationē formalem intrinsecam, ergo Sanctorum reliquiæ modo dicto præscindentes adorari possunt per secundarium adorationis actum. Major constat: tum quia posita ratione formalis simpliciter intrinseca ad terminandum actum, non apparet, quare hic non sit ponendus: tum quia: ideo imaginibus, & alijs denegauimus hunc actum secundarium, quia deerat illis intrinseca ratio terminandi illum, quæ esset simpliciter talis, si igitur ea inuenitur in Sanctorum reliquijs dabitur in illis quicquid requiritur ad terminandum secundarium adorationis actum.

Minor suadetur: quia licet sanctorum corpora actu separata sint à sanctis animabus, adhuc tamen intrinsecè secundariò inhabitata fuerunt à Spiritu Sancto, fuerunt rursus subiecta, in quibus intrinsecè receptæ sunt tum virtutes per se acquisitæ, tum per se infusæ, nam harum omnium aliquæ subiectari postulant in appetitu sensuio, adeoque in corpore: tolerarunt rursus passiones, labores, dolores, & his similia, quibus Christo patienti configurata

configurata sunt : quæ omnia quāuis actu non existant , ex hoc tamen quod intrinsecè in ijs corporibus extiterint , reliquerunt sufficiētē determinationem, ad hoc, vt simpliciter intrinsecè omnia p̄predicta habere dicantur .

Et ratio huius desumitur ex discrimine , quod reperitur inter p̄teritum , & futurum , quod istud quia numquam de facto extitit, nullam sui potuit reliquise determinationem intrinsecam : secus illud cum de facto à parte rei fuerit semel p̄sens : hinc quamvis naturabilis Angelici intellectus viribus denegetur cognitione futurorum omnium contingentium ; non tamē p̄teritorum , quæ cum aliquando habuerint esse reliquerunt in speciebus Angelicis determinationem , ratione cuius etsi de facto non sint , sufficit tamen ad hoc , vt actu represententur , & cognoscantur . Et rursus id etiam apparet in delectatione, quæ nequit esse de futuro, vt tali , benē autem de p̄terito , & idcirco in materia prima ponitur appetitus naturalis complacentiæ nedum respectu formæ , quam actu habet , verum etiam eius , quam habuit , & tamen complacentia , seu delectatio requirit rem p̄sensem , id tamen , quod fuit , & non est nequit esse p̄sens , nisi ratione eius determinationis , quam posuit cum erat p̄sens : datur igitur in Sancrorum reliquijs aliquid intrinsecum simpliciter sufficiens ad terminandum secundarium adorationis actum . Consequentia liquet .

46. Confirmatur & declaratur magis hæc ratio . Sanctorum corpora cum fuere sanctis coniuncta animabus intrinsecè affecta sunt bonitate actuum virtutum , ergo in ijs separatis à sanctis animabus reperitur intrinseca ratio simpliciter sufficiens ad terminandum secunda-

*De Crucis Christi &c.*

rium adorationis actum . Antecedens suadetur nam quamvis in membris externis non detur intrinsecè seu malitia , seu bonitas actuum ; secus tamen in appetitu sensitivo , in quo iuxta communem Thomistarum sententiam dantur habitus tum naturalis , tum supernaturalis ordinis , eo quia in illo consummantur actus p̄dictorum habituum , qui sunt passionum moderatiui . Consequentia liquet cum enim appetitus sensitivus corporeus sit , bonitas intrinsecè illum afficiens , vtique intrinsecè residet etiam in corpore ; atque adeo quāuis actu eiusmodi bonitas in illis corporibus non sit , sufficit tamen , quod intrinsecè in illis p̄fuerit , ad hoc vt ratione relictae determinationis detur in illis intrinseca ratio , sufficiens ad terminandum secundarium adorationis actum .

Confirmatur secundò ex Sancrorum Martyrum reliquijs : nam ea pars corporis , in qua martyr vulnus accepit habet peculiarem aliquam sanctificationem , ergo ea p̄terita determinatio siue à passione , & vulneribus Christi amore toleratis , siue ab exercitio virtutum , & secundaria Spiritus Sancti inhabitacione proueniens , sufficiet ad terminandum secundarium adorationis actum . Antecedens probatur tum ex eo , quia ea pars est peculiari cultu digna , & ideo ex decreto Sacrae Rituum Congregationis emanato sub Urbano Octavo semper censetur insignis reliquia , verba decreti sunt . *Insignes autem reliquias declarauit esse caput , brachium crus , aut illam partem corporis , in qua passus est Martyr , modo sit integra , & non parua , & legitimè ab Ordinariis approbata . Quod forte ortum ducit ex peculiari configuratione , quam ratione inficti vulneris habuit cum Christo paciente : Tum*

*Qq 2 etiam*

*Decretū:*

etiam, quia probabilissimum est, eandem corporis partem post nouissimum Iudicij diem decorandam fore peculiari quodam ornamento: ex quibus liquido constat, concedendam praedictæ parti peculiarem omnino sanctificationem. Consequentia quoad omnes partes est manifesta ex paritate rationis.

Adde, eius, quod dicimus nō leue argumentū esse, quod cernamus in sanctis aliquibus corporibus permanentē virtutē miraculorum effectricem residere: siquidem non pauca Sanctorum corpora perseverant prorsus incorrupta, alia odorato liquore manant: & tandem ex reliquijs S. Nicolai iugiter fluit Mana na, in vniuersum pene terrarum orbem riuulis suis decurrentes, idemque dici posset de alijs, quæ ut potè notissima ommittimus. Ex hoc autem non obscurè colligitur, relictam fuisse ab ijs omnibus, quæ enumerauimus in Sanctorum reliquijs singularem quandam sanctitatem, vi cuius nunc terminare simpliciter, & licet possint secundarium adorationis actum.

47. Ut autem clarius innotescat, cur circa sanctorum reliquias versari dicamus secundarium adorationis actum, quem sacris imaginibus, & alijs sub dicta sèpè præcione sumptis, denegauimus; sciendū hunc actum debere esse secundariū, ut proportionetur sanctitati reliquiarum, haec enim non est perfecta, sed deficiens sanctitas, cum actu formaliter non insit, sed virtualiter actualiter dumtaxat, ratione sèpè dictæ determinationis ab omnibus praedictis relicta, vnde nō debet primariū, omninoq; perfectū adoratio nis actū terminare, sed secundarium, & consequenter minus perfectū: Eò vel maximè: quia sicut reliquiarum Sanctitas semper, ac indispensabili ter pendet à preterita sanctitate,

quæ dum erat formaliter præsens, erat ratio coadordanter corpus ad adorationē personæ sanctæ: ita & secundarius hic adorationis actus quem nunc terminant est etiam indispensabiliter pendens à primario obiecto, quod est persona sancta, licet enim hanc secundarius actus formaliter, & proximè non attingat, ab ea tamen radicaliter semper pendet. Eo ferè modo, quo licet media simpliciter terminent, ut proximum obiectum quod, secundarium voluntatis actum, qui est electio, ratione utilis, & intrinsecæ bonitatis: quia tamen obiectum primarium voluntatis hanc specificans, est sola bonitas finis, ideo ab isto tanquam ab obiecto remoto, ac radicali indispensabiliter predicta electio dependet. Simili quoque modo propter eandem rationē est quoad presens philosophandum, nam primarium adorationis obiectum semper est persona intellectua lis sancta, & consequenter à respectu ad istam, tanquam saltem ad obiectum radicale, & remotum, nullus adorationis actus absolui potest.

Ex qua explicatione clare habetur probatio secundæ partis nostræ assertionis: non enim ad secundarium actum eliciendum pendentem indispensabiliter à primario obiecto habitus, ponendus est peculiaris habitus distinctus ab eo, qui versatur circa idem primarium obiectum, sed unus prorsus sufficiet, qui sicut per se primo determinat, ac facilitat potentiam in ordine ad actum primarium, ita secundario se se extendit ad inclinandum, & determinandum in ordine ad obiectum secundarium, cum predicta tamen dependentia à primario obiecto, quod multis exemplis ostendi posset, sed sufficiet pro nūc desumptum ex habitu Logicæ, qui primariò

primariò ut est docens elicit actus scientificos, secundariò verò probabiles, prout videlicet est vtens, cum tamen non sint duo, sed unus realiter habitus, ut alibi dictum est. Nec oportet in re satis nota amplius immorari.

## S. I I.

*Deciso aliquorum ex præcedenti doctrina deducta.*

48. **P**rimum quod ex dictis inferimus est, traditam hancenam non esse applicandam omnibus prorsus Sanctorum reliquijs, vti sunt vestes, & alia huiusmodi, quæ vsibus sanctorum, cum inter mortales viuerent destinata sunt; in istis enim non credimus relictam fuisse intrinsecam aliquam virtualem sanctitatem, ratione cuius terminare simpliciter possint secundarium adorationis actum, sed terminabunt dumtaxat honorariam quandam venerationem, quæ ad essentiam adorationis non pertingat qualem supra tribuimus imaginibus sanctorum, ut ab ipsis præscindentibus. Ratio huius est ex dictis manifesta, nam ad enumerata non secundariò, ac intrinsecè extendet inhabitatio Spiritus Sancti, nec per passionum tolerantiam conformata sunt Christo patienti, nec rursus per virtutum exercitia fuerunt intrinsecè affecta bonitate moralis earumdem virtutum, nec demum sunt intrinsecæ, naturalesque compartes animæ sanctæ, cum qua personam sanctam constituerint, aut post nouissimum iudicij diem constituent: unde est omnino diuersa ratio de illis, ac de sanctorum corporibus, quæ per omnia enumera ta intrinsecè sanctificata fuisse ostē-

dimus, sicut etiam intrinsecè sanctificabuntur in futuro. Licet cum hoc cohereat, maiorem hac veneratione promereri crucem Christi, Spinas coronæ, clausos eiusdem, sindonem qua mortuum illius corpus involutum est, & si quæ sunt alia his similia, sumpta prout præscindentia à Christo, qui præterito suo contactu ea sanctificauit. Et hoc tum ratione maximæ, omninoque singularis sanctitatis Christi Domini, tum quia assumpta fuerunt, ut excellentissimæ actionis instrumenta, quæ tamen omnia minutim magis expendere superuacaneum esset.

49. Secundum quod deducimus, quodque supra disp: 2. n. 42. in hunc locum remisimus, quid videlicet dicendum de humilitate Christi; posito, quod per absolutam Dei potentiam dimitteretur à Verbo Diuino, cuius Diuino prorsus contactu iam fuisset sanctificata. Et respondeendum eam adorandom fore per secundarium latrig actum, siquidem præteritus ille intrinsecus contactus, habitus per intrinsecam, satisque intimam unionem personæ Verbi ad illam, reliquit in ea sufficientem excellentiam ad eum terminandum, vti de sanctorum reliquijs dictum est. Et hinc rursus habetur, hoc ipsum dicendum esse de facto contingere in sacratissimo Christi Domini preputio, quod in terris asseruatur, cum enim fuerit actu pars humanitatis à Verbo Diuino assumptæ, vtiquè & ipsum coassumptum fuit ad assumptionem totius humanitatis, atque adeo nunc separatum à Persona Verbi promeretur eandem adorationem, quæ deberetur in euentu, quod humanitas ab eadem persona dimitteretur. Et dicimus, illud nunc esse separatum, quia axioma illud, quod semel assumpsit numquam dimisit, intelligitur de partibus principalioribus

cipalioribus, non de quibusdam minutissimis, sine quibus simpliciter integritas humani corporis Christi perseverat. De quo in tractatu de Incarnatione.

50. Tertium quod inferimus est; quid videlicet sit asserendum de adoratione sanguinis Christi; posito quod aliquid illius in terris separatum ab eius corpore inueniatur; & sciendum triplicem posse Christi sanguinem distingui. Primus est sanguis qui naturalis dicitur, secundus est sanguis, qui appellatur nutrimentalis, tertius miraculosus nuncupatur: & incipiendo ab hoc ultimo, ille is est, qui ex aliqua, vel aliquibus Christi Domini imaginibus effluxit, vti in Septima Synodo narratur de quadam Christi imagine à perfidis Iudeis affecta vulneribus: eiusmodi ergo sanguis non censetur esse Christi Domini, nisi quatenus huius verum sanguinem repräsentat, atque adeo idem de illo censendum, ac de figura crucis, quæ eundem Christum repräsentat. Quoad secundum, cum docuerimus in libris de Anima disp: 6. quæst. 1. prædictum sanguinem, vtpotè ad sufficiētē elaborationem non perductum, non informari anima totius; sit indè non fuisse à Persona Verbi coassumptum ad assumptionem totius, ac proindè eadem erit ratio de illo, ac de cruce prout contactu membrorum Christi sanctificata, quamvis nonnihil maioris veneratiōnis promereatur, propter inti-morem cum Christo Domino coniunctionem. Demum quantum ad primum, cum is informetur anima totius, vt loco citato de Anima ostensum est, manifestè sequitur ipsū fuisse à Persona Verbi coassumptū, ad assumptionem totius, & per consequens eadem ratio erit de illo, ac de humanitate in euentu, quod per

absolutam Dei potentiam dimittetur.

51. Quarto loco dubitari potest: an liceat deuotionis gratia sanctorum reliquias; quas priuatæ possidēt personæ ad collū suspensas deferre? Et respondendū affirmatiū iuxta doctrinā D.Tho: 2.2. quæs. 96. art. 4. ad 3. dicentis quod si portentur ex fiducia in Deum, & Sanctorum, quorum sunt reliquie non erit illicitum. Si autem circa hoc attendetur aliquid aliud vanum, puta quod vas effet triangulare, aut aliquid aliud huiusmodi, quod non pertineret ad reuerentiam Dei, & Sanctorum effet superstitionis, & illicitum. Cui addere placuit peccari in hoc etiam posse, si minus decenter deferantur, & præsertim si essent admodum insignes, has enim satius est in Ecclesijs, ac locis sacris asseruari, sic exigente magna ea reuerentia, qua sunt dignæ.

Huic tamen resolutioni aduersari dicitur Angelus in Summa verbo Reliquie; idque probat authoritate capit: *Corpora de consecrat: dist: 1. vbi præcipitur: reliquias de loco ad locum sine Episcopi licentia non esse deferendas.* Cui addi potest prohibitio facta Episcopis in Concil: Bracar: 3. cap: 5. habeturque tomo 3. Concilior: cuius verba hæc sunt. *Quorundam Episcoporum detestanda præsumptio nostro se catui intulit dirimendam; agnouimus quosdam de Episcopis, quod in solemnitatibus martyrum ad Ecclesias progressi reliquias collo suo imponant, ut maioris fastus apud homines gloria intumescant, quasi ipsi sint reliquiarum arca.* Si igitur Episcopis, qui Sacra adeò dignitate sūt insigniti inhibetur reliquiarum gestatio, quanto magis censendum, id esse prohibitum alijs omnibus, qui ea sanctitate gradus non gaudent.

Respondetur ad primum ibi expressè

*S.Thom.*

*Angel.*

*Concil.  
Brach.*

pressè sermonem esse de reliquia-  
rum translatione de vno in alium  
locum, non verò de priuata illarum  
gestatione. Et forte ea translatio  
vetita fuit, ne reliquiæ exponeréntur  
pij furti periculo, aut alijs incon-  
uenientibus minoris decentiæ, du-  
bitationis de earū individuali certi-  
tudine, & similiū: quæ non militant  
in priuata illa gestatione. Ad secū-  
dum dicendū: id fuisse prohibitum  
in eo Concilio ex eo, quod inde  
sumerent Episcopi occasionem ni-  
mij fastus ac pompæ: siquidem ra-  
tione reliquiarum, quas collo defe-  
rebant appensas, volebant portari  
in sellulis à Leuitis albas indutis,  
vt ibidem dicitur. Clarissimè id  
constat ex verbis quæ post adducta  
subduntur, quæ sunt huiusmodi.  
*Quod si Episcopus reliquias deportare  
elegerit, non ipse à diaconibus in sel-  
fula vebatur, sed potius pedissequa,  
una cum populis, progressione proce-  
dente ad conuenticula sanctorum Ec-  
clesiarum, sancte Dei reliquia per  
eundem Episcopum deportabuntur.*

*52. Quod diximus de reli-  
quiarum gestatione tenendum pa-  
riter de sacris verbis, & presertim  
de Sancto Euangeliō, hoc enim  
Beatissima Virgo & Martyr Cæcilia,  
vt ex ipsius vita constat, sem-  
per in pectore, velut in puritatis  
reliquiario, gerebat; vnde Sancti  
Euangelij verba in 7. Synodo act:  
7.in definitione fidei reliquijs equi-  
parantur, ac sacris imaginibus,  
statuitur enim istis tribuendam esse  
venerationem, ac deinde subditur  
Quemadmodum typo venerandæ, &  
vivificantis crucis, & Sanctis Euange-  
lij &c. Imo S. Aug: tomo 10. libro  
quinquaginta homiliarum, homil:  
26. hēc de veneratione sacris tri-  
buenda eloquijs, habet. Rogo vos  
venerabiles filie, & sollicitudine pa-  
terna commoneo, ut quando aut lectio-  
nes leguntur, aut verbum Dei prædi-*

catur, nulla se in terra projiciat, nisi  
fortè quam nimium grauis infirmitas  
cogit. Sic tamen non iaceat, sed magis  
sedeat, & attentis auribus, auida cor-  
de que prædicantur suscipiat. Inter-  
rogo vos fratres, vel sorores, dicie  
mihi. Quid vobis plus esse videtur  
verbum Dei, aut corpus Christi? Si  
verū vultis respondere, hoc utiq; dicere  
debetis, quod non sit minus verbū Dei  
quam corpus Christi. Et ideo quanta  
sollicitudine obseruamus quando nobis  
corpus Christi ministratur, ut nihil ex  
ipso de nostris manibus in terram ca-  
dat: tanta sollicitudine obseruemus, ne  
verbum Dei quod vobis erogatur diē  
aliquid cogitamus, aut loquimur de  
corde nostro pereat. Quod nihil cer-  
tè sublimius de sanctitate sacrorum  
eloquiorum dici potest.

53. Ut tamen hoc, quod est  
ferre Diuina verba ad collum su-  
spensa omni superstitionis vitio ca-  
reat, notanda sunt ea, quæ sequun-  
tur, quæquæ desumimus ex Ange-  
lico Præceptore 2. 2. quæst. 96.  
art. 4. Primò ne in ijs contineatur  
aliquid ad inuocationem dēmonum  
spectans. Secundò ne talis scriptu-  
ra habeat aliqua ignota nomina,  
ne sub ijs aliquod illicitum occul-  
tetur. Tertia ne aliquid falsitatis  
in eisdem reperiatur, quia bonus  
sanctorum verborum effectus non  
posset à Deo expectari, cum ipsi  
repugnet esse testē falsitatis. Quar-  
to ne immisceantur in illis aliqua  
vana, vti essent aliqui characteres  
inscripti, præter signum crucis. De-  
mum cauendum, ne spes habeatur  
in modo scribēdi, aut ligandi aut in  
quacumq; alia huiusmodi vana ob-  
seruatione, quæ ad Diuinā reueren-  
tiā non pertineat. Ex quibus constat,  
quanta cautela procedendum sit, vt  
omne genus superstitionis evitetur.

Aduersus hanc doctrinam objici  
potest authoritas S. Ioa: Chrysos:  
qui tomo 2. in cap: 23. S. Matth:  
hom:

S. Joan:  
Chrysost.

hom: 43 . à medio hæc habet Alli-  
gant circa collum quidam partem ali-  
quam Euangelijs scriptam . Dic Sacer-  
dos insipiens , non ne quotidie Euan-  
gelium in Ecclesia legitur , & auditur  
ab hominibus ? Cui ergo in auribus  
posita Euangelia nihil profunt , quomo-  
do eum poterunt circa collum suspen-  
sa saluare ? Deinde ubi est virtus  
Euangelijs , in figuris litterarum , an  
in intellectu sensuum ? Si in figuris  
benè circa collum suspendis : si in in-  
tellectu , ergo melius in corde posita  
profunt , quam circa collum suspensa .  
Meminit horum verborum S. Tho:  
2 . 2 . loco citato in arguento ,  
Sed contra Et in hunc modum respō-  
det . Dicendum : quod Chrysost: loqui-  
tur , quando respectus habetur magis  
ad figuras scriptas , quam ad intellectū  
verborum . Addimus Sanctum Do-  
storem eo loco arguere sacerdotes  
suae ætatis , qui verba Euangelijs  
Scripta , & ad collum suspensa de-  
ferebant ad ostentationem propriæ  
iustitiae , vt videlicet apparerent ri-  
gidi obseruatores eorum verborū ,  
quæ scripta semper ante oculos de-  
ferebant , quod apertè colligitur ex  
verbis , quæ ante ea quæ adduxi-  
mus , præmittit cum ait Sacerdotes  
ex eo , quod ab hominibus volunt ui-  
deri iusti &c. Tandem nota cum Fi-  
liuccio tomo 2 . quæst. moral: trac:  
24. cap: 6 . num. 146 . gestationem  
aliquorum brevium , quæ vel vsus  
Ecclesiæ , vel ars medicorum pro-  
batorum non admittit , esse su-  
perstitiosam , & prohibitam .

S. Thom.

Filiuc.

Filiuc.

54. Quæri hic etiam potest , an  
si quis deferens reliquias peccet  
peccato fornicationis , perpetret  
sacrilegium ob irreuerentiam illa-  
tam illis ? Cui quæsto negatiuè re-  
spondet loco citato Filiucius dum-  
modo turpiter aut obscenè non  
pertractentur . Et refert pro hoc di-  
cendi modo Samium , Azorium , &  
alios , suppresso horum nomine .

Mouetur , quia hoc ipso quod ob-  
scenè non tractentur , nec datur  
specialis lex , quæ id prohibeat ,  
neque opponitur directè cultui reli-  
quiarum , posito eas obscenè , aut  
turpiter non pertractari . Pro oppo-  
sita tamen sententia refertur ab ipso  
Philiarcus . Nec videtur nobis suf-  
ficienti probabilitate carere ; cum  
enim tantum reuerentiæ Ecclesia  
deferat Sanctorum reliquijs , non  
apparet quomodo excusari possit  
ab irreuerentia eis irrogata , qui fe-  
dissimo luxuriæ peccato cum ijs de-  
linquit . Et sane , si non licet ma-  
trimoniale debitum in loco sacro ,  
nempè in Ecclesia reddere , cum  
tamen is actus bonus aliunde sit ,  
quomodo illicitum non erit defe-  
rindo reliquias turpissimo forni-  
cationis actui vacare ?

Nec rationes Filiuccij videntur  
admodum conuincentes , nam ad  
primam dicitur dari vniuersalem  
legem negatiuam de non irroganda  
iniuria rebus sacris : ad eam autem  
irrogandam non requiritur , quod  
reliquiæ directè tractentur turpiter ,  
& obscenè , sed sufficiet si exerceat-  
ur actus , qui ex sua fæditate repu-  
gnat cum sanctitate reliquiarum  
vti etiam contingat , si quis ma-  
trimoniale debitum in Ecclesia red-  
deret . Siquidem vt optimè adno-  
tarunt N. Salman: trac: de vitijs , &  
pecc: disp: 5 . num. 118 . & alibi  
hoc est discrimin inter malum , &  
bonum , istud non confert bonitatē ,  
nisi fuerit directè volitum illud  
verò tribuit malitiam ex hoc quod  
tantum fuerit indirectè & interpre-  
tatiuè amplexum ; nam bonum ex  
integra causa consurgit : malum ex  
quocumque defectu habetur . Per  
quod constat ad secundum , vt enim  
is actus indirecte opponatur cultui  
reliquiarum sufficit obligatio vitan-  
di eam irreuerentiam , quæ reuera-  
adest , oriturque ex vniuersali lege  
Salman

jam

iam assignata. Non tamen hoc intelligi debet de quocumque peccato interius consummato si fuerit in materia luxuriæ , sicut voluntas fornicandi habita in Ecclesia non habet peculiarem sacrilegij specié , secus exterior actus . Si verò fuerit in alia materia , vti V. G. est , furcum etiam externum non desumet pariter sacrilegij malitiam , quia non habet peculiarem eam fæditatem , quæ solius materiæ luxuriosæ est propria . Non ideo tamen sententiam Filiucci , & aliotum improbamus , imò probabiliorem censemus . Maximè cum sit omnino licitum gestantem reliquias reddere matrimoniale debitum , quod tamē debitum reddere in Ecclesia est illicitum .

55. Demum habetur quid dicendum de alijs rebus cultui Diuino deputatis , nempè vestibus sacris , calicibus , corporalibus ; ac similibus . Si enim loquamur de ijs , quæ immediate non tanguntur à speciebus sacramentalibus ; sub quibus latent corpus , & sanguis Christi , solum secundum quid sunt veneratione aliqua digna : si verò de ijs , quæ immediate ab illis speciebus tanguntur , vtiquè maiorem promerentur venerationem ex prædicto contactu : propriè tamen non erunt adoratione digna , si præscindant à

Christo , quem aliquo saltem modo respiciunt . Sicuti etiam cum fideles Rosarijs , alijsque similibus tangunt Christi , aut Sanctorum reliquias , non ideo redundunt adoratione digna , sed inseruiunt ad hoc , vt memoria , & affectus erga eas personas , quarum tetigere reliquias , excitentur .

Nunc soluenda essent argumenta , quæ aduersus nostram assertiōnem fieri possent , & præcipue in illam militare videtur ratio , qua supra disp: 5 . num. 48 . vñ sumus ad ostendendum imagines , vt præscidentes ab exemplaribus sanctis non esse simpliciter adoratione dignas , cum sint intrinsecè inanimatae , adeoque incapaces excellentiæ omnino propriæ , & simpliciter talis ; Sed quia est omnino diuersa ratio de sanctorum reliquijs , quæ aliquādo informatæ sunt anima rationali sancta , acceperuntq; sufficiētem excellentiam ad terminandū secundariū adorationis actum ex determinacione in ijs relicti ex præterita , & intrinseca sanctitate : sicut etiam , quia sunt naturales compartes rationalis personæ , quæ non est inuenire in imaginibus ; quæ omnia factis explicuimus ; ideo non oportet amplius in hoc immorari , sed hactenus dicta circa sacrarum rerum adorationem sufficient ,



# DISPVTATIO VII.

## DE ADORATIONE RERVM ad naturalem ordinem pertinentium.



OSTREMAM hanc de Adoratione Disputationem rebus naturalis ordinis referuimus: hæc enim sunt inferioris prorsus conditionis ad ea, quæ ad supernaturalem classem spectant. Neque hæc coincidet cum prima huius operis disputatione, in qua de ciuili egimus Adoratione, ea enim instituta fuit pro externa, ac ciuili excellentia, qua gaudent aliqui in humana Republica propter alias dignitates extrinsecus aduenientes: hic autem est sermo de Adoratione exhibenda rebus naturalibus propter intimam omnino excellentiam, quam à Deo earum naturali Authore participant, ut ex dicendis notum fiet; erit tamen in illa vnicum dumtaxat dubium, quia pro omnibus vna est communis difficultas.

### DVBIVM VNICVM.

*Vtrum res omnes, ut præcisè spe-  
ctantes ad naturalem ordi-  
nem, sint adorabiles?*

I.  **E**S omnes prout ad naturalem ordinem pertinentes in duas classes possumus partiri: collocantur in vna omnes creaturæ irrationales homine inferiores, quæcumque illæ fuerint, ponuntur in altera Homo, & Angelus. Ex his enim omnibus integratur hoc uniuersum, secundum quod est Dei authoris naturalis effectus. Primi generis creaturæ appellantur Dei vestigia: secundi verò ordinis ad imaginem Dei factæ esse dicuntur. Quæ vt clarius innotescant primò animaduertendum, creaturas intelle-

ctuales non dici imagines Dei, sed ad imaginem Dei, quia ut optimè docuit Angelicus Praeceptor 1.par. quæst. 93.art. 2. In homine (idemque intelligendum de Angelo) dicitur esse imago Dei, non tamen perfecta, sed imperfecta. Et hoc significat Scriptura cum dicit, hominem factum ad imaginem Dei: præpositio enim, Ad, accessum quandam significat, qui competit rei distanti; Solus ergo Filius Aeterno Patri cōsubstantialis dicitur imago Dei Patris, quia huic est per omnia æqualis.

Secundò notandum, Angelum magis esse ad imaginem Dei, quam sit homo, si attendamus ad primariam rationem imaginis, quæ sita est in ratione naturæ intellectualis, cum hæc sit perfectior in Angelo, quam in homine. Hic tamen quoad secundarias rationes imaginis su- perat

perat Angelum: etenim sicut in Diuinis datur processus vnius personæ ab alia: ita & vnuis homo, debita, seruata proportione, ab alio producitur, & sicut anima est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, sic Deus se habet respectu huius vniuersi. Vnde simpliciter loquendo Angelus est magis ad imaginem Dei, quam homo, hic verò secundum quid magis, quam Angelus, Ita S. Doctor quæst. cit. art. 3. Hec tamen differentia non obstat, quominus eadem sit ratio quoad terminandam adorationem in homine, ac in Angelo, se habet enim de materiali, vt clarius ex dicendis innotescet; sed vt appareat in quo differat hoc, quod est esse ad imaginem Dei, ab eo quod est illius esse vestigium, quod irrationalibus competit.

Tertiò demum notandum: imaginem afferre ex suo essentiali conceptu similitudinem productam ab eo, cuius est imago, in specie, aut in signo speciei; & quia species attendit secundum ultimam differentiam, idcirco quod est ad imaginem alterius, oportet esse ad similitudinem ultimæ differentiæ sui prototypi: cum ergo ultima quasi differentia constitutiua Dei sit actualis intellectio, sola intellectualis creatura, dici potest ad imaginem illius. Ceterum vestigium, vt docet S. Thom.

*S. Thom.*

in 1. dis. 3. quæst. 2. art. 1. nihil aliud est, nisi impressio quedam, confusa dicens in cognitione alicuius, cum non repræsentet ipsum, nisi secundum partem, scilicet pedem & secundum superficiem inferiorem tantum. Ex qua definitione colligere licet, quod cum perfectissima irrationalia viuant vita sensibili, & hæc solummodo eminenter, nullatenus formaliter in Deo reperiatur, vtique solum confusè, ac valde imperfèctè ducunt in Dei cognitionem, &

*De Adoratione Rerum &c.*

propterea eius vestigia dicuntur, & verè talia sunt. De omnibus ergo his creaturis, vt pertinentibus ad naturalem ordinem, queritur in praesenti an sint adorabiles?

### §. I.

*Duplex assertio ratione probatur,*

2. **D**icendum est primò: nulla ex prædictis creaturis exponenda est publicæ adorationi. Ita sentit Cajet: 2. 2. quæst 103. art. 2. S. *Videtur mihi*. quem sequitur P. Vasq: tomo 1. in 3. p. disp. 100. num. 11. Probatur breuiter ratione. Si prædictæ res proponerentur publicæ adorationi, præberetur occasio idololatriæ, atqui hoc est omnino illicitum, ergo eiusmodi res non sunt exponendæ publicæ adorationi. Maior suadetur: nam publicus cultus exhibendus est nemù à doctis, verum etiam ab indoctis, vnde saltem rudes, & indocti, quibus vñitatum non est, Deū in qualibet creatura tanquam in suo effectu recognoscere, adeoque & illam ad Deum Creatorem referre, indè haberent proximum, satis idololatrandi periculum, putantes res illas secundum se esse adoratione dignas. Minor, & consequentia probatione nō indigent.

Confirmatur: Inter omnes huius vniuersi res aliquæ sunt quæ multù indecentiæ præseferunt, vti sunt deformia quædā animalia, aliaquæ sati vilia, quæ proponere vt publicè adoranda multum inconuenit, ergo illicitum erit omnes huius vniuersi res publico cultui exponere. Antecedens suadetur: quia saltem indocti ignorant in qualibet quantumvis deformi, & vili creatura la-

tere ingeniosissimum Diuinę sapi-  
entiae artificium, quod in illis reue-  
reri possimus. Consequentia liquet.  
Eo vel maximè quia non defuere  
errores circa vilissimarum etiam  
rerum adorationem, de quibus er-

Sapien.

roribus sic habetur Sapien: 13. Va-  
ni autem sunt omnes homines, in qui-  
bus non subest scientia Dei: & de his,  
quę videntur bona non potuerunt in-  
telligere eum, qui est, nequę operi-  
bus attendentes agnouerunt quis esset  
artifex, sed aut ignem, aut spiritum,  
aut citatum aerem, aut gyrum stella-  
rum, aut nimiam aquam, aut solem,  
& lunam rectores orbis terrarum deos-  
putauerunt. Et Apost: ad Rom: 1.  
loquens de Gentilium erroribus in-  
quit: Et mutauerunt gloriam incorru-  
ptibilis Dei, in similitudinem imagi-  
nis corruptibilis hominis, & volucrū,  
& quadrupedum, & serpentium. De  
huius idololatriæ apud Romanos

S.Thom.

vigentis initio, & causa hæc asserit  
S. Tho: Iec: 7. in citatum Apostoli  
caput. Est notandum quod sicut dixie  
glossa ab aduentu Aenea consueuerunt  
in Italia imagines hominum coli, pu-  
ta Iouis, Herculis, & similium. Sed  
tempore Cæsaris Agusti denic̄ta Aegy-  
pto, eorum cultum Romani assumpse-  
runt: qui imagines animalium colebant  
propter figuras animalium, quę no-  
tantur in celo, quibus Aegyptiā tāquam  
astrologię dediti cultum diuinitatis  
impendebant. Vnde Dominus filios Is-  
rael in Aegypto nutritos ab huiusmo-  
di cultu remouet dicens Deuter: 4. Ne  
forte oculis elevatis in celum, videas  
solem, & lunam, & omnia astra celi  
&c. Quam eruditam notationem,  
prætermittere noluimus, ne præ-  
sens opus eius ornamento careret.

3. Verum huic rationi, eius-  
que confirmationi occurri posset,  
dicendo predictis omnibus incon-  
uenientibus perfaciè occurri pos-  
se per instructionem: eo pari modo,  
quo supra diximus agentes de ado-

ratione imaginum, in qua vrge-  
videtur idem errandi periculum,  
saltem respectu rudium, ac indo-  
ctorum hominum; vndē aut hæc  
ratio nimis probat, aut nihil con-  
uincit.

Id tamen refelli non difficulter  
potest adnotando, quod supra agé-  
tes de imaginibus docuimus, du-  
plex esse entium genus aliud per se  
primò institutum ad repræsentan-  
dum, & ad hoc pertinere omnes  
imagines: aliud verò ad essendum.  
& huiusmodi sunt res omnes, quę  
Dei naturalis authoris sunt effectus,  
de quibus in presentiarum est ser-  
mo. Ex quo fit circa primum en-  
tium genus facillimè vitari posse  
idololatriæ periculū per instruc-  
tionem adorantium, nam cum sit per  
se primo institutum ad repræsentan-  
dum prototypum, citò appetet non  
esse propter se adorabile: non ita  
in secundo entium genere, quod cum  
sit per se primo ad essendum in se  
institutum, aptum natum est ad ter-  
minandam adorationem ratione sui,  
& propter seipsum, cum ratio ter-  
minandi fundetur in ratione essen-  
di. Vndē non est simile. Tum rursus  
quia dependentia effectus à Deo  
ut pote transcendentale creatura-  
rum prædicatum, est valde intima,  
atque adeo admodum occulta: non  
ita dependentia imaginis ab exem-  
plari, quę satis nota est apud om-  
nes: hinc error in adoratione ima-  
ginum vix potest contingere, secus  
in adoratione aliorum, quę sunt ra-  
tione sui, & propter seipsa.

4. Sed vrgebis: etiam omnis  
creatura est vestigium Dei, aut ad  
illius imaginem, igitur saltem in  
adoratione illarum, hoc modo sum-  
ptarum, de facili error per instruc-  
tionem adorantium vitari poterit:  
nam prout sic videntur per se pri-  
mo creata ad Deum representan-  
dum, cum in definitionibus vestigijs,

&amp;

& eius quod est ad imaginē ponatur eiusmodi repräsentatio, in definitione vestigij confusa, in eius, quod est ad imaginem distincta. Adde: saltem Sanctorum reliquias non esse per se primò ad repræsentandum institutas, & tamen publico cultui absque erroris periculo exponi: idē ergo de omni creatura dici potest.

Contra primum tamen est: quia et si omnis creatura sit aut Dei vestigium, aut ad illius imaginem, non tamen hæc sunt essētialia creaturarum prædicata, sed transcendentalia, & valde intima: siquidem fundantur in eo, quod omnis creatura sit effectus Creatoris: cum enim proprium sit vniuersciusque efficientis cause assimilare sibi effectum, aut valde imperfectè, & consequenter admodum confuse: aut magis perfectè, & propterea magis distinctè: vtique ex eo quod omnis creatura sit effectus Dei sequitur aut esse illius vestigiū, aut ad eiusdem imaginem. Porrò eiusmodi rationes sunt valde latentes, nec defacili à rudibus, & indoctis percipi possunt: cum vix innotescant ijs, qui studio philosophicarum disciplinarum insudant: licet ergo cognito, creaturas esse vestigium Dei, aut ad illius imaginem, non sit admodū difficile in eis adorare Creatorem, ac proinde errorem vitare, quod solum adducta responsio conuincit; Secus dicendum, non præsupposita tali notitia, ad quam cū vix pertingere possint indocti, idcirco nè error subrepat afferendum, incoueniens esse quamlibet creaturam publico cultui exponere.

Ad id, quod assertur de Sanctorum reliquijs, dicitur, quod cum istæ fuerint naturales compartes Sanctæ personæ, & iterum sint cum ipsis glorificandæ, ac demum unicusque innotescat, eas fuisse ad virtutes exercendas instrumenta, ac

quondam Spiritus Sancti habitacula, hæc enim omnia, aut saltem fere omnia vix est, qui ignoret: sati manifestè apparet, eas non propter seiphas, sed ratione omnium prædictorum adorari: & in hac adoratione sic relata ad sanctas personas nullum contingere errorem, nemo ambigit. Quæ omnia non adesse in qualibet creatura respectu sui Creatoris, in dubium nequit vocari; & ideo est satis dissimilis ratio.

5. Dicendum est secundò: creaturas omnes, siue sint Dei vestigia, siue ad illius imaginem coadorari posse cum Deo; quatenus analogantur cum illo analogia, attributionis. Pro huius intelligentia assertionis breuiter notanda communis Thomistarum Metaphysicorum doctrina, qua assertur analogum analogia attributionis tale esse, vt res significata per nomen analogum sit intrinsecè tantum in principali analogato, extrinsecè verò in minus principalibus analogatis: vndè ens, prout analogum analogia attributionis, est dumtaxat intrinsecè in substantia, extrinsecè verò in accidenti. Et quia idem ens est hac analogia analogium respectu Dei, & creaturarum, ideo prout substantia eiusmodi analogæ erit tantum intrinsecè in Deo, extrinsecè in creaturis, siue fuerint Dei vestigia, siue ad illius imaginem, hoc enim discriminem quantum ad præfens de materiali omnino se habet, vt melius constabit ex solutione argumentorum. Doctrina hæc de Analogia in præsenti à nobis supponitur; ea enim satis probata est à N. Complut: in Logica in materia de nominum analogia, quam diligentissimo examinatam calamo ibidem reperies.

Ex ea autem deducimus, & illatio est manifesta, hoc ipsum dicendum esse de excellentia, quæ est

est propria , ac formalis ratio terminans adorationis actum : cum enim ens sit primum prædicatum fundamentum, ac basis reliquorum, posito illud esse sic analogum respectu Dei , & creaturarum , idem erit de prædicato excellentiæ asserendum; quapropter excellentia, ut analogia attributionis ad Deū , & ad creaturas erit intrinsecè in solo Deo , & extrinsecè in creaturis . Et tandem : quia eiusmodi analogia formalissimè sumpta fundatur in dependentia minus principaliū analogatorum à principali, fiet indè , hanc dependentiam formaliter importari in eiusmodi excellentiæ analogia , ita ut creatura, ut hoc modo analogata , exprimat extrinsecam excellentiam , ut dependentem à fôte totius excellentiæ, Deo optimo maximo . Hac præsupposita assertionis explicatione.

*s.Thom.* 6. Probatur conclusio ratione desumpta ex doctrina Angelici  
*s.Thom.* Præceptoris 2 . 2 . quæst. 103 . art.  
 2 . ad 2 . Quoties ratio formalis terminans aliquem actum tendentem in creaturas est aliquid Diuinum , per eundem actum tendere possumus in Deum , & in creaturam ut reduplicatiuè ordinatam in eundem Deum, sed creatura prout est analogatum analogia attributionis in ratione excellentiæ , non habet aliam rationem formalem terminandi adorationem , nisi excellentiam Diuinam , ergo per eundem actum , quo excellentissimum Deum adoramus, coadorare possumus omnes Dei effectus, ad illius supremam excellentiam formaliter ordinatos , ab eaque eodem modo pendentes . Maior suadetur ex verbis S. Doctoris loco adducto dicentis . Dicendum , quod ratio diligendi proximum Deus est , non enim per Charitatem diligimus in proximo nisi Deum , & ideo eadem Charitas est ,

*S.Bern.* qua diligitur Deus , & proximus . Quam doctrinam videtur accepisse ex D. Bernar: lib: de Amore Dei cap: 9 . dicente . Docemur amare proximum secundum legem Charitatis puram : ut sicut Deus non nisi seipsum amat in nobis , & nos ipsum didicimus amare in nobis : ita & proximum , sicut nos incipiamus amare , in quo solum Deum amamus .

Vt autem hoc clarius innotescat, notamus breuiter : Sanctos Doctores loqui de creatura secundum quod in ratione boni supernaturalis analogatur cum Deo formalissima analogia attributionis : nam si in proximo non diligitur nisi Diuina bonitas , vtique hæc solum extrinsecè denominat creaturam bonam neque enim creatura est intrinsecè bonum increatum , vt de se patet , erit igitur analogata analogia attributionis . Nota rursus, hunc Charitatis actum debere esse primarium cum bonitas Diuina quæ sola diligitur in proximo , specificet supernaturalem Charitatem, atque adeò terminet primarium illius actum . Tandem per hunc actum non sic purè diligitur Diuina bonitas , vt nullo prorsus modo proximus illù terminet ; alias nec posset denominari amor proximi , nec vlla ratione distingueretur ab amore , quo Deus in seipso , & absque proximi confortio diligitur; dicendum ergo bonitatem Diuinam esse adæquatam rationem diligendi per modum obiecti quo , at adæquatum obiectum quod esse Deum , & proximum , ita tamen ut Deus diligatur per se , proximus condiligatur ad dilectionem Dei . Porro hoc quod dicitur de supernaturali Charitatis amore dicendum esse de amore naturalis Charitatis , quo Deus ut author naturalis super omnia diligit potest , & ad eius dilectionem condiligi proximum , ut ad eundem ordinatur

ordinatur : nemo iure in dubium vertet .

7. Nunc ex paritate huius duplicitis amoris clarè constat maior , nam cum creatura vt ad ordinem naturalem spectans , & secundum quod analogatur cum Deo analogia attributionis in ratione excellentiæ , non habeat aliam proximam rationem terminandi adorationem , nisi excellentiam Dei naturalis authoris , vtique erit omnino similis sibi ipsi , vt est diligibilis per vtramque prædictam Charitatem ; & consequenter sicuti eadem Charitate actuali diligitur Deus , & proximus ; ita idem adorationis actus terminabitur ad Deum , & conterminabitur ad creaturam , quod est intentum maioris nostræ rationis . Minor , & consequentia sunt manifestæ .

Confirmatur . Idem est motus in analogatum minus principale analogia attributionis , ac in principale eiusdem analogiæ analogatum , ergo eodem adorationis actu , quo attingitur Deus , vt in ratione excellentis prædicto modo analogatur cum creatura , coattinetur eadem creatura . Antecedens probatur . cum enim in minus principali analogato analogia attributionis non inueniatur intrinseca excellētia , vtique nec inuenietur intrinseca ratio terminandi adorationem , in qua ipsa sistere possit , vnde progedetur ulterius usque ad Deum , in quo solo secundum hanc analogiam inuenitur intrinseca ratio terminandi , & consequenter idem erit motus in analogatum minus principale , vt substans analogiæ attributionis , ac in principale analogatum . Quod patet , tum adducto Charitatis exemplo : tum in alijs analogatis minus principalibus , vt substantibus eidem analogiæ , quæ nec cognosci , nec alio actu attingi possunt , nisi

simul cum principali analogato , à quo formalissimè pendent , & ad quod formalissimè pariter ordinantur , sicut omne , quod extrinsecè ab aliquo denominatur , habet à suo denominante consimilem prorsus dependentiam , vt consideranti erit manifestum .

### §. II.

*Ponitur tertia conclusio , & ratione probatur .*

8. **D**icendum est tertio , quælibet creatura siue sit vestigium Dei , siue ad huius imaginem , prout analogatur cum Deo analogia proportionalitatis propriæ in ratione excellentiæ , potest adorari adoratione secundaria , elicita ab eodem habitu , quo primariò adoratur Deus author naturalis . Pro huius intelligentia assertionis notandum , creaturam posse sumi trivitius ; primò prout dicit sua prædicata specifica , vi quorum constituitur in ratione hominis , Angeli , Lapidis , & similium , & hoc modo nullatenus respicit aliquid extrinsecum , sed per sua intrinseca principia adæquatè constituitur , & consequenter definitur : & de creatura , hoc modo sumpta , hic non agimus . Secundò sumi potest vt formalissimè vestigium Dei , ac ad illius imaginem , quo modo proximè respicit Deum , & sumitur vt non ponens in numero cum illo , atque adeo vt analogatur cum Deo analogia attributionis , & consequenter nullam dicit intrinsecam , & propriam excellentiam , quo modo de creatura loquuti sumus præcedenti assertione . Tertiò tandem consideratur creatura , quæ est vestigium Dei , & ad illius imaginem , adeoque repræsentans Deum , sed tamen sumitur

sumitur, ut inuoluens proprium esse intrinsecum, quod est analogia participatio perfectionis increatae, vi cuius participationis habet vim representatiuam Dei, seu per modum vestigij, seu tanquam ad illius imaginem: & hoc modo non exprimit proxime, & formaliter dependentiā à Deo, sed dumtaxat radicaliter: vnde censetur analogatum, analogia proportionalitatis proprietatis quam, analogatum minus principale non dicit proxime, & formaliter à principali analogato dependentiā, sed ad summum radicaliter. Et hoc modo nunc de creatura loquimur, cum dicimus adorari posse actu secundario elicito ab ea virtute, quae est principium actus primarij, quo adoratur Deus author naturalis. Hoc posito.

9. Probatur conclusio ratione. In creaturis omnibus praedicto modo consideratis reperitur intrinseca excellentia sufficiens ad terminandum secundarium adorationis actum, elicitum à nunc dicta virtute, ergo licet creatura per talem actum poterit adorari. Antecedens, quod dumtaxat probationem desiderat, suadetur: creaturæ omnes siue sint Dei vestigia, siue ad illius imaginem habent intrinsecè participatam à Deo perfectionem, quæ est ipsa vis representationia eiusdem Dei, vnde eadē perfectio & est in creaturis diffusa, & inuoluta cum imperfectionibus, & est in Deo diffundente illam, ac seclusis omnino imperfectionibus: quarè sicut hæc perfectio, & excellentia prout Deo intrinseca promeretur primarium adorationis actum: ita prout in creaturis digna erit adoratione secundaria. Eo fere modo, quo utilitas intrinseca mediorum, quia est deficiens quædam participatio bonitatis honestæ finis, & eisdem medijs intrinseca, idcirco terminant

secundarium voluntatis actum, electionem videlicet. Et demum sicut media in hac ratione terminandi pendent radicaliter à fine, & actus electionis radicaliter ab actu primario intentionis terminato ad eundem finem dependet: ita prorsus loquendo de creaturis, quæ ratione illius intrinsecæ excellentiæ participatæ à Deo sunt eiusdem seu vestigia, seu ad illius imaginem, & consequenter etiam de secundario adorationis actu: nam hæc omnia radicaliter pendent ab actu primario adorationis, ac illius etiam obiecto. Quod etiam explicari posset exemplo secundarij actus Charitatis siue naturalis, siue supernaturalis, qui terminatur ad proximum ratione suæ intrinsecæ, proprieque bonitatis, ac eodē prorsus modo pendent tum à primario charitatis actu, tum ab illius proprio obiecto.

Et sane si habitus Charitatis eius formale, & specificatuum obiectum est bonitas increata potest elicere actum secundarium terminatum ad bonitatem creatam, dummodò tam ista, qua predictus actus secundarius radicaliter pendent ab actu primario, eiusque obiecto, quod luculenter docent N. Salman: trac: de ultimo fine disp: 1. num. 97. Non est cur habitus adorationis elicitiuus, cuius proximum, & specificatuum obiectum est aliquid creatum elicere nequeat actum secundarium, quem promereantur creaturæ dicentes in ratione vestigij, aut si factæ sunt ad imaginem Dei, excellentiam intrinsecam analogicè, analogia proportionalitatis propriæ conuenientem cum Diuina excellentia. Hæc tamen intelligenda sunt respectu intellectus bene callentis omnia, predicta distinguere: adeoque coram rudibus cautè loquendum, nè praebatur illis erroris occasio.

## S. III,

*Respondetur contrarijs argumentis.*

10. **A**Duersus primam assertione, præter ea, quæ diximus num. 3. & 4. nihil se offert in cuius solutione oporteat nos detinere, quarè soluenda supersunt argumenta secundæ, & tertiae conclusioni aduersa; oppositam itaque sententiam docuerunt, vt refert Vasq: loco cit. Alexander 3. p. q: 30. membro 3. art. 2. §. 3. Noster Tho: Vuald: tomo 3. cap: 156. art. 6. quatenus docent præter sacras imagines, reliquias, & res alias seu cōsacratas, seu benedictas, seu cultui Diuino dicatas, nihil aliud esse adorandum. Arguit ergò Alexander in secundam assertione in hunc modum. In creaturis homine inferioribus dumtaxat est vestigium Dei, sed hoc nullo modo est adorabile simul cum Deo, ergò creature irrationales non sunt simul cum Deo, modo dicto adorabiles. Maior liquet ex dictis Minor suadetur: quia id, quod est Dei vestigium non dicit nos proximè in Deum: habetur enim tale vestigium in creaturis secundum unitatem, veritatem, & bonitatem: quæ tria non in Trinitatem, sed in imaginem Trinitatis, quæ in homine est secundum memoriam, intellectum, & voluntatem, proximè referuntur, in ipsam verò Trinitatem remotè: quod autem solum remotè dicit in Deum, non est simul cum illo adorabile.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: ad cuius probationem dicitur, vestigium proximè ducere in cognitionem illius, à quo immediate pro-

*De Adoratione Rerum &c.*

ducitur in genere causæ efficientis, & quia hoc modo creaturæ omnes immediate à Deo productæ sunt, quod docuit S. Tho: p. p. quæst. 65. art. 3. dicens *Quidam posuerunt gradatim res à Deo processisse Ita scilicet, quod ab eo immediate processit prima creatura, & illa produxit aliam, & sic inde usque ad creaturam corporream, Sed hæc positio est impossibilis &c.* Ratio autem cur vestigium immediate ducat in cognitionem eius, à quo immediate procedit in genere causæ efficientis, est, quia sicut imago est similitudo producta ab eo cuius est imago: ita & vestigium quod suo etiam modo habet rationem imaginis, cum confusè saltem repræsentet illum, cuius est vestigium, vti iam dictum est: *Diximus autem irrationalia immediate procedere à Deo in genere causæ efficientis, nam in ratione finis proximipendit etiam ab homine, ad quem ordinantur, & cui famulantur.* Ade quod si admitteremus, irrationalia esse vestigium hominis facti ad imaginem Dei, dicendum esset etiam hominem esse ad imaginem Angeli, qui simpliciter est magis ad imaginem Dei, quam homo, vt diximus initio huius dubij: id autem nemo dicet. Adde tādem quod etiam si gratis admitteremus, vestigium Dei hunc non respicere nisi mediante homine, non indè inferretur vestigium modo dicto coadquirari non posse simul cum Deo mediante inspecto, hæc enim mediata habitudo non impedit, quo minus ut quid vnum cum Deo possit cognosci, & sic per actum adorationis attingi.

Id autem explicari potest ex doctrina, quam tradunt N. Salman: *N. Salman: trac: de Virtutibus disp: 3. num. 33. vbi asserunt, virtutes per se infusas residentes in appetitu sensitivo immediate respicere prudentiā*

*S. per*

per se infusam , & hac mediante virtutes theologales , & his rursus mediantibus Deum ipsum , à quo specificantur . siquidem omne ens supernaturale à Deo speciem desumit . Sicut ergo prædictarum mediatio virtutum non impedit intimam adeò attingentiam , qualis est inter specificatum , & specificatum : multo minus obstabit prædicta hominis mediatio ad hoc , vt Dei vestigium ipsum Deum respiciat taliter , vt proponi possit per modum vnius adæquati obiecti quod adorationis .

ii . Secundò argumentamur nos aduersus eandem conclusionem & simul etiam contra doctrinam traditę nunc responsionis . Quamuis homo , & Angelus , qui sunt ad imaginem Dei coadorari simul cum illo possint , non tamen id dicendum videtur de irrationalibus , quæ tantum sunt vestigia eiusdem Dei , ergò saltem nostra assertio non erit vera , quoad omnes prorsus creaturas . Antecedens quoad primam partem suadetur , quia hoc ipso , quod homo , & Angelus sint nedum vestigia Dei , verum etiam ad illius imaginem , non solum respiciunt Deum , vt causam efficientem , verum etiam vt causam formalem extrinsecā , & hoc tum quia , cum ratio vestigij sufficiat ad respiciendum Deum vt causam efficientem , oportet vt peculiaris , ac maior accessus ad eundem Deum , qualis reperitur in creatura , prout ad imaginem Dei fundet peculiarem habitudinem ad ipsum , quæ non videtur posse esse , alia , quam conexio cum Deo , vt cum causa formalis extrinseca : tum rursus : quia sicut omnis imago respicit proprium exemplar , vt causam formalem extrinsecam : ita quod est ad imaginem Dei hunc pariter vt causam formalem extrinsecam inspiciet . Ex quo habetur probatio

secundæ partis antecedētis , si enim vestigio deest peculiaris hic respectus ad Deū , qui competit ei quod est ad illius imaginem , non debemus idem de illo afferere , quod dicimus de illo quod fuerit ad Dei imaginem . Consequentia ex antecedentis probatione liquet .

Respondetur concedendo antecedens quoad primam illius partem , & negando quantum ad secundam . Et ratio illud negandi est , quia non est verum homines , & Angelos factos ad imaginem Dei hunc in genere causæ formalis extrinsecæ respicere , si per hoc intendatur , vt id , quod est ad imaginem Dei ab isto speciem desumat : nam hęc habitudo est propria solius entis supernaturalis . Et ratio huius est , quia perfectio naturalis creaturarum sita est in eo , quod participet perfectionē Diuinam taliter , quod hęc splendeat in creaturis modo proprio earūdem creaturarum , quatenus videlicet nulla creata , & naturalis perfectio est sufficiens ad attingendum Deum , modo , quo Deus seipsum attingit : nam modus quo Deus seipsum cognoscit , & amat est omnino supernaturalis , & consequenter excedens totam natūram creatam , & creabilem , vt naturales limites non excedit . Cæterum supernaturalis perfectio , exempli causa Charitas , facit nos amare eodem modo , quo Deus amat seipsum per suam increatam Charitatem dempta solū infinitate actus : & ideò supernaturales perfectiones sunt formales participationes Diuinorum perfectionum , & si præscindantur à modis essendi creaturæ , accidētis limitationis sūt proprietates Dei prout in seipso . De quo N. Salman: tract: de Visione Dei disp:3. n 39 . Hinc infertur , solas perfectiones supernaturales respicere Deum , vt causam formalem extrinsecam specificantem

specificantem: & consequenter hominem, & Angelum ut spectantes ad naturalem ordinem, quo modo nunc de eis loquimur, quantumuis facti sint ad imaginem Dei, hunc non respicere, ut causam formalem extrinsecam specificantem, sed dumtaxat ut causam efficientem, & finaliem ultimam, secundum quas rationes inspicitur pariter ab irrationalibus, quae sunt vestigia Dei, ut omnes fatentur. Et quia hoc, quod est creaturam coadorari posse cum Deo sufficienter habetur per dependentiam ab eodem in genere causae efficientis, & finalis ultimae, idcirco tum ea, quae sunt ad imaginem Dei, tum huius vestigia coadorari possunt cum ipso; & propterea maior ille accessus, quem habent ea, quae facta sunt ad imaginem Dei, in comparatione ad ea, quae sunt eiusdem vestigia de materiali se habet in ordine ad terminandum hunc coadorationis actum, per quod patet ad primam probationem maioris, quatenus huic doctrinæ aduersatur.

12. Ad secundam dicitur, quod non est eadem ratio de imagine alicuius, ac sit de eo, quod est ad imaginem alterius, vt enim initio huius dubij ex S. Tho: notauiimus, ea propositio *Ad distantiam*, supponit, atque adeò non dicit talis accessum, ut sufficiat ad hoc, quod facta ad imaginem Dei ab isto specificentur, sicut specificatur ab exemplari omnis imago: & sicut specificarentur homo, & Angelus si essent eiusdem Dei imagines. Vnde quia homo, & Angelus ut habentes gratiam, & visionem Dei sunt imagines deficientes eiusdem Dei, idcirco ut tales respiciunt Deum, tanquam causam formalem extrinsecam specificantem. Per quae patet ad argumentum.

Superest tamen ut breuiter expli-  
De Adoratione Rerum &c.

cemus, in quo situs sit maior ille accessus ad Deum, quem dicunt facta ad imaginem Dei, compara- ta ad ea, quae sunt illius vestigia. Et dicendum: situm esse in eo, quod facta ad imaginem Dei dicant passiuam capacitatem ad gratiam, & visionem claram Dei, ratione quarum euehuntur ad hoc, quod sint deficientes imagines eiusdem Dei, siquidem ex supernaturales perfectiones formaliter participant in-creatias Dei perfectiones, atque adeò sunt quodammodo increatarum perfectionum imagines ex hoc, quod ab ipsis specificentur, ut iam diximus. Quamdiu tamen hæc passiva capacitas non est aliquo modo seu per extrinsecam, seu per intrinsecam eleuationem reducta ad actum nihil habet, per quod actu secernatur ab ijs, quae sunt dumtaxat Dei vestigia, vnde in ordine ad terminandum coadorationis predictæ actum de materiali se habebit, ut non semel diximus, & consequenter nullum erit quoad præsens institutum discrimen, & ita unicam quoad omnia censiimus esse difficultatem.

13. In tertiam nunc assertione argui potest authoritate S. August. S. Augu. qua utitur N. Vuald: Is itaque S. Doctor exponens Psal: 10. conc: 3. ad illa verba *Sol cognovit occasum suum* inquit, adorandum non esse solem ex eo, quod Scriptura per solem metaphorice Christum intelligat, alias adorare etiam debemus petram, cum per istam significetur etiam Christus in eisdem Sanctis Scripturis. Eadem etiam assertioni contradicere videtur D. Tho: 2. 2. quæst. 103. art. 2. ad 3. cū ait Alia est reuerentia, quae Deo exhibetur, quae nullo modo pertinet ad eius imaginem; loquitur ibi S. Doctor de homine, secundum quod est ad imaginem Dei; vnde si adorationem terminatam ad Deum af-

serit , nullo modo pertinere ad hominem illius imaginem , contra eius mentem nos docuimus secundarium adorationis actum elicitorum à virtute , qua Deum adoramus pertinere & ad vestigium Dei , & ad id , quod est ad imaginem eiusdem .

Respondeatur ad primum S. Augustini doctrinam nobis non aduersari , quia inter solem , petram , & Christum solum est analogia proportionalitatis metaphorica : qualis est inter agrum florentem , & risum hominis , & hanc fatemur non sufficere , ut analogata metaphorica significatio terminent etiam secundarium adorationis actum , quia non habent aliquid intrinsecum de suo significato , nihil enim de Christo participatur in sole , aut petra , quod sit ab eodem Christo productum . At in creaturis analogatis cum Deo analogia proportionalitatis propriæ , quo modo de illis loquuti sumus datur intrinsecè participata Dei perfectio , vnde fit , ut cum radicali dependentia à participibili terminare possint secundarium adorationis actum , ut satis explicuimus . Ad secundam exponi primò posset de primario adorationis actu versante circa Deum omnino secundum se : ut constat etiam in primario Charitatis actu , ut præcisè est amor Dei : & dicimus ut præcisè tendit in Deum , quia idem etiam primarius actus extendi potest ad creaturam simul cum Deo , ut dictum est in secunda assertione . Deinde dicitur ; velle ibi S. Doctorem distinguere latriam supernaturalem à Dulia supernaturali , ut patet ex textu , & quia homo , ut per sanctitatem est ad imaginem Dei terminat primarium omnino Duliam virtutis actum , idcirco prout sic nullatenus terminat latriam : Non ita quoad presens cum loquamur de creaturis prout in ordine naturali sunt secundarium analogatum ,

analogia proportionalitatis propriæ , quo modo non sunt capaces terminandi primarium aliquem adoracionis actum , vnde ponendus est secundarius : eo vel maximè quia eodem loco in prima responsione satis insinuat adductam à nobis doctrinam , cum ait hominem , qui est ad imaginem Dei , posse terminare alium motum adorationis , ab eo , quem terminat Deus , si imago actu non referatur in Deum , & consequenter non sumatur simul cum exemplari , iuxta dicta in tertia nostra assertione , & hunc alium motum , nos dicimus , esse actum secundarium , propter dictam rationem .

14 . Argui tandem potest : quia nos supra secundarium hunc adorationis actum denegauimus sacris imaginibus , ut praesidentibus à proprijs exemplaribus , ergo inconsequenter nunc illum concedimus tum Dei vestigijs , tum ijs , quæ facta sunt ad imaginem Dei . Respondeatur tamen disparitatem esse manifestam : quia illæ imagines nihil intrinsecum habent de exemplaribus : secus vestigia Dei , & ea , quæ facta sunt ad illius imaginem , quæ representant Deum per intrinsecam participationem Diuinæ perfectionis , quæ in illis omnibus dispersa inuenitur : ita ut illud ipsum quod sublatis imperfectionibus est in Deo prototypo , seu quasi prototypo , sit in creaturis inuolutum cum imperfectionibus , vnde est dissimilis omnino ratio . Quarè potius creaturæ respectu Dei assimilantur speciebus intentionalibus , iuxta opinionem ponentium eas esse virtuales similitudines obiectorum . Nulla ergo est inconsequentialia , quod respectu creaturarum prout modo dicto analogatur cum Deo analogia proportionalitatis propriæ , ponamus actum secundarium modo explicato . Et hæc de adorationis materia dixisse sufficiat .

# DISPVTATIO VIII.

## DE SANCTORVM Beatificatione, & Canonizzazione.



OSTVLAT præsentis mæteriæ Tractatus, vt hanc disputationem non omittamus, cum ad Sanctorum gloriam, eorumque cultum pertineat: non erit tamen omnino calamo indulgendum, sed ea dumtaxat erunt per tractanda, quæ ad completam notitiam eorum, quæ hactenus diximus, necessaria vi debuntur. Hinc non erit sermo de ijs, quæ requiruntur ad hoc, vt aliquis inter Beatos, aut Sanctos connumeretur, effet enim multi laboris, multæquè opus magnitudinis, nam agendum effet de miraculis, de virtutibus heroicis, pluribusque alijs maximæ difficultati obnoxijs. De quibus fortè aliquando erit sermo.

### DVBIVM PRIMVM.

s. I.

*Verum consuetudo canonizzandi  
Sanctos sit laudabilis?*

ON distinguimus in hoc dubio canonizzazione, à beatificatione id enim præstandum erit dubio sequenti, quapropter quicquid de canonizzazione dicetur, erit de beatificatione intelligendum, nam quo ad laudabilitatem consuetudinis est de vtraque eadem ratio; quia tamen laudari aut vituperari nequit, quod non fuerit quantum ad suam essentiam cognitum; præmittemus breuiter definitionem, tum quid nominis, tum quid rei, canonizationis, definitio enim naturam rei explicat.

*Explicatur breuiter definitio quid nominis, & quid rei canonizationis.*

1. **D**efinitio quid nominis est ea, quæ quid nomen significet, aperit; Canonizzatio itaque composita videtur ex his duobus videlicet *canon*, & *actio*. Primū horum verborū græcum est, & significat regulam, ita docet S. Isidorus lib: 6. *S. Isidor.* origin: cap: 15. dicens *Canon autem græcè, latinè regula nuncupatur*. Secundum autem ex prædictis verbis ex se innotescit, sed quam peculiarem actionem significet constabit ex definitione quid rei mox tradenda. Igitur hoc, quod est canonizzare Sanctos significat actionem condentem regulam per quam alijs innotescat.

notescat sanctitas alicuius personæ, & quia regulam oportet esse certam & infallibilem, significatur etiam Sanctum canonizzatum certò, & infallibiliter pro sancto habendum, modo tamen, quo infra explicabitur, cum de hac infallibilitate erit sermo.

*I nnoc.  
P ap.*

Nunc quoad definitionem quid rei Canonizationis Sanctorum, sciendum tres communiter illius circumferri definitiones. Prima est Innocentij Papæ qui cap: 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum in hunc modum eam describit. *Canonizzare Sanctos nil aliud est, quam regulariter statuere, quod aliquis honoretur pro Sancto.* Secundam tradunt Canonistæ omnes his verbis. *Canonizzare est aliquem per Papam Catalogo Sanctorum adscribere, & publicè, & solemniter declarare.* Tertiā demū sic conficit Cardin: Belar: tom. 2. controuers: lib: 1. de Sanctor: Beatitudine. *Canonizzatio nihil est aliud quam publicum Ecclesie testimoniū de vera sanctitate, & gloria alicuius hominis, iam defuncti: & simul est iudicium, ac sententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur ijs, qui cum Deo feliciter regnant.*

2. Circa has definitiones notandum occurrit, quod iuxta primam ad Sancti alicuius canonizationem solum videtur exigi hoc, quod est statui regulam certam de sanctitate alicuius, ac de honoribus ei deferendis. Secunda autem ultra hæc exigit, id fieri debere per Papam, cuius primam non meminit, quamvis possit subintelligi: rursus postulat nedum publicam, verum etiam omnium prædictorum solemnem declarationem, quam tamen an sit necessaria ad essentiam canonizationis infra discutiemus. Tertia ( præterquamquod nimium prolixa videtur, quæ prolixitas in

definitionibus tradendis quantum fieri potest vitanda est ) ultra omnia aducta requirit Sanctum canonizzandum debere esse vita functū, ac cum Deo feliciter regnantem, quod tamen à veritate alienum esse clarè constat tum in Sanctissimo Patriarcha Nostro Elia, quem Scriptura Ecclesiastici 48. inter Sanctos viros enumerat, eundemque ut Sanctum vniuersa Ecclesia, cum tamen nec mortuus sit, nec feliciter cum Deo regnet in cælis. Tum rursus: quia viuenti Beatisimæ Virgini erectum est Cæsaraugustæ templum, cum eadem purissima Virgo degens inter viuos apparuerit S. Iacobus Catholicam fidem prædicanti Hispanis, de quo agunt Scriptores vitæ huius Sancti Apostoli: constat autem templa non erigi nisi in honorem Dei, & Sanctorum: quare ea particula non videtur posse sustineri, nisi fortè intelligatur ut in plurimum, & iuxta consuetum modū huius ætatis, ac secluso omni priuilegio, quali gaudet S. P. N. Elias. Et hæc diximus ad explicandum ea, in quibus prædictæ definitiones discrepant. Inter has autem definitiones melior appareat secunda, nam videtur clarè & breuiter importare quicquid essentialiter requiritur ad canonizationem Sanctorum, vt euidentius notum fiet ex infra dicendis.

3. Superest tamen ut aliquid dicamus de hoc nomine Sanctus, quod cum sit concretum accidéntale sanctitatē, vt sui formale significatum habet, vndē breuiter explicandum quid importetur nomine Sanctitatis; id autem explicit S. Tho: 2. 2. quæst. 81. art. 8. his verbis. *Nomen Sanctitatis duo videtur importare. Vno quidem modo munditiam, & huic significationi competit nomen græcum; dicitur enim, agios, id est sine terra, Alio modo importat firmitatem*

*S. Isid.* ratem, unde apud antiquos, sancta dicebantur, que legibus erant munita, ut violari non deberent; unde, & dicitur, aliquid esse sancitum, quia lege est firmatum. Potest etiam secundum Latinos hoc nomen sanctus ad munditiam pertinere, ut intelligatur sanctus, quasi sanguine tinctus, eo, quod antiquitus illi, qui purificari volebant sanguine hostiae tingebantur *ut S. Isidorus dicit in lib. Ethim:* lib. 10. videlicet sub littera S. & lib. 15. cap: 4.

Circa hæc notandum primò occurrit, quod cum terra sit elementorum infimum, ac satis impurum optimè asseritur munditiam sanctitatis eius carentiam afferre. Et propterea credimus, Deum nunquam in nouo testamēto usum fuisse elemento terræ ad sanctificandos homines, cum omnia alia elementa assumperit tanquam instrumenta sanctitatis communicativa in die enim Pentencostes usus est igne, & aere; nam ut dicitur Actorum 2. factus est repente de cælo sonus, tanquam adueniētis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes; & apparuerunt illis disperitate lingua, tanquam ignis. Idemque, apparet in elemento aquæ quo baptizzantur quotidiè infantes.

4. Secundò optimè pariter per sanctitatem dicitur, significari firmitatem, nam iuxta doctrinam S. Tho: quest. 27. de Ver: art. 1. ad 9. Quamvis per unum actum peccati mortalis gratia amittatur, non tamen facile gratia amittitur: quia habenti gratiam non est facile illum actum exercere, proprie inclinationem in contrarium, sicut Philosop: dicit in 5. Ethic: quod iusto difficile est operari iniusta. Et sanè si hoc est verum de omnibus habéтиbus gratiam, à fortiori id verum erit de habentibus sanctitatem, cum hæc non sit quæcumque gratia, sed in gradu satis

excellenti, & heroico, quo modo maximè dominatur subiecto, ac proindè valdè difficultem reddit illi peccati actum; Imò gratia quantum est ex parte Dei, cuius est gratuitum donum communicatur ut in perpetuum duratura, secundum illud Apost: ad Rom: 11. Sine pa-  
*Apost.* nitentia sunt dona, & vocatio Dei; quod exponens Angelicus Praecep: lec: 4. ait. Ipsam temporale Dei do-  
*S. Thom.* num, & temporalis vocatio non irri-  
tatur per mutationem Dei, quasi peni-  
tentis, sed per mutationem hominis,  
qui gratiam Dei abycit, secundum illud Hebraor: 12. Contemplantes, ne quis desit gratię Dei.

5. Tandem circa tertium no-  
tandum, quod Sanctus dicitur qua-  
si sanguine tinctus, & sanguine ho-  
stiae, quia ut dicit Apost: ad Hebreos  
*Apost.* 9. Omnia penè in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis ef-  
fusione non fit remissio. Et hoc maxi-  
mè verificatur de sanguine effuso à  
Christo Domino, qui in ara crucis tanquam Sanctissima Hostia Deo Patri immolatus est; sic enim inter-  
pretatur hæc verba S. Doctor lec:  
4. in fine dicens Figurabatur, quod remissio peccati erat fienda per sanguinem Christi. Unde in veteri lege, non virtute Sacramenti, sed virtute fidei Christi fiebat remissio peccatorū. Unde frequenter ibi dicitur Rogabit pro eo Sacerdos, & remittetur. id est Christus summus, & æternus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Oportet tamen huic effusioni cruo-  
ris Christi, sanctificati etiam homini-  
nis effusionem coniungi, siue spiri-  
tualiter per internam, & externam  
passionum, & carnis mortifica-  
tionem, siue corporaliter, ut contingit  
in sanctis Martyribus. Quam legē dolendum est ignorasse hæreticos  
delicatissimæ vitæ institutores, cum eam probè nouerint Gentiles, ut in-  
nuit S. Isidorus, & de quo videri  
potest

*Virgil.* potest Seru: Et ideo Virg: lib: 12. Aeneid: ante medium cecinit sub Aenee persona. *Audiat hæc genitor, qui federa fulmine sancit:* id est qui amicitiam hominum cum diis fulmine, hoc est sanguine sanctificat, inoleuit enim consuetudo sanciendi fædera sanguine, ut habetur in Theatro Vitæ Humanæ littera S. pag: 71. Hæc autem adnotasse hic voluimus ad completam prædictarum definitionum notitiam.

*Theatr.  
Vit. Hu-  
man.*

### Conclusio authoritatæ, & ratio- ne probatur.

*Belarm.* **D**icendum est: laudabiliter in Ecclesia Catholica vigere consuetudinem canonizzandi Sanctos. Ita Belarm: loco adducto cap: 7. idemque asserunt omnes Catholici Scriptores. Probatur primò, quia ut habetur Eccli: 44. & sequentibus quamplures gloriosi viri, virtute diuites canonizzantur, ut Henoc, Noe, Abraham, & alij, qui ibidem enumerantur, sed hoc laudabiliter factum est, ergò laudabilis est pariter consuetudo canonizzandi Sanctos, quæ in Ecclesia catholica viget. Maior constat ex loco adducto, vnde omainò erroneum esset de eorum virorum sanctitate dubitare: sicut etiam heres eos insimularetur, qui negaret Stephanum, & Iacobum Maiorem Sanctitate floruisse cum à S. Luca in Actis à se conscriptis, tanquam sancti commemoarentur: habetur ergò ex Sacra Scriptura iudicium infallibile, à quo tanquam à canone, seu regula certificamur de Sanctitate aliquorum virorum; quod & nihil amplius canonizzatio importat, ut vidimus, nec opus est

summi autoritate Pontificis, cum ex Spiritu Sancti instinctu eorum Scriptores librorū loquuti fuerint. Minor est per se manifesta, maximeque notaretur impietatis oppositum afferens. Consequentia liquet, nam quæcumque in sacris libris scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut dicitur ad Rom: 15. Nulla enim necessitas (exponit Angelicus Præceptor lec: 1.) <sup>s. Thom.</sup> fuit hæc scribere nisi propter nos, ut ex his instruamur.

*Machab.* Confimatur. Illud censemus est laudabile, quod fideles ad virtutes exercendas allicit, & extimulat, atqui hoc potissimum in sanctorum canonizzazione catholica. Ecclesia intendit, ergò mos canonizzandi Sanctos est laudabilis. Maior ex se patet. Minor probatur: nam cum Sanctorum catalogo scripti sint viri omnigeno heroicarum virtutum ornamento conspicui, proponuntur utique ab Ecclesia, ut eorundem exemplis incitati fideles, illos æmulari conentur; vnde 1. Machab: 2. cum Mathathias morti proximus hortaretur filios suos ad hoc, ut fortiter pro tuendis patrijs legibus usque ad sanguinis, vitæque profusionem decertarent in hæc verba eos allocutus est. *Nunc ergo filij emulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrū vestrorum, & memento operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, ut aiciatis gloriam magnam & nomen aeternum.* Ecce illustria patrum facienda proponuntur ad irritandam generositatem filiorum eorumque corda calore virtutis implenda, ut pīssimi zeli flamma vehementius accendatur. Vnde D. Gregor: lib 2. moral: cap: 1. inquit <sup>s. Greg.</sup> quod Scriptura Proponit gesta Sanctorum, atque ad imitationem corde prouocat in firmorum; dumque victoria facta commemorat, contra vitiorum pralia

*prælia debilia nostra confirmat, fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quot ante se positos tot virorum fortium triumphos vider.*

7. Huic tamen rationi, eiusq; confirmationi occurri posset dicendo, haberi quidē ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus laudabile esse præclarum virtute virorum gesta, per narrationem ad futura sœcula transmittere, vt ex eorum lectione prouocemur ad consimilia patranda: non tamen indē habetur, commendatione dignum esse, Sanctos canonizzare; hoc enim posterius ultra prædictam narrationem affert hoc, quod est, eosdem viros inter diuos referre, & consequenter adorationis cultum illis esse exhibendum: & hoc rursus non qualitercumque, sed statuendo regulam modo infra dicendo infallibilem, per quam eorundem virorum Sanctitatem maxima certitudine cognoscamus; quæ omnino in plus sunt, quam simplex illustrum enarratio gestorum, vt de se patet.

Verum aduersus hoc effugium in hunc modum argumentamur, quia eadem Sancta Scriptura antequam eosdem viros in particulari enumaret præmittit cap: 44. sic *Laudemus viros glorioſos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à ſaculo. Dominantes in potestatibus suis, hemines magni virtute, & prudentia ſua præditi.* Et post fatis præclara encomia his verbis proœmium concludit. *Sapientiam ipsorum narrant populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.* Sed ex his: omnibus colligitur laudabilem esse consuetudinem canonizzandi Sanctos, non verò tantummodò commendabile esse eorum sancta facinora enarrare, ergo ex Scriptura fatis efficaciter nostra habetur assertio. Maior proba-

*De Sanctis. Beatificat. & Canoniz.*

tione non indiget, cum tota ex Scriptura habeatur.

Minor probatur: tum quia cum laus vt dixit S. Tho: in Psal: 7. fit, *Sermo dilucidans magnitudinē virtutis, vtquè ex ſe ipſa affert obsequiū, & reuerentiam personæ laudatę exhibita, & consequenter cultum, & adorationem illi proportionata: eo vel maximè, quia vt ex ultimis verbis conſtat, præcipitur publica eorum laus exhibenda à populis, & ab vniuersa ecclesia per quod denotatur maxima eorum excellentia, cum eis publicæ laudis obsequium decernatur.* Tum rursus quia cum Sanctorum librorum Scriptores ex Spiritus Sancti instinctu loquiſti fuerint, eorum commendatio sumenda est tanquam infallibilis regula sanctitatis eorum, qui laudantur, ſiquidem vt habetur ex Apost: 2. ad Chor: 10. *Non qui ſeipſum commendat probatus est, sed quem Deus commendat.* <sup>Apost.</sup>

8. Probatur secundò conclusione, & simul adducta responsio impugnatur. Illud est laudabile, quod est virtutis naturæ maximè consentaneum, quodque humanos animos ad virtutes acquirendas vehementer urget, sed huiusmodi est sanctorum canonizzatio, ergo laudabilis est consuetudo canonizandi Sanctos. Maior quoad primam partem conſtat, cum proprium laudis obiectum sit magnitudo virtutis, quam laus deprædicat, vt ex definitione laudis numero præcedenti tradita, est manifestum. Quoad secundam probatur cum honestissimum sit, adeoque summis efferendum laudibus, humanos animos ad virtutes comparandas extimulare. Minor suadetur, & explicatur in hunc modū, quia cum per canonizzationem publici honores sanctis decernantur, eorum virtuosè gestis redditur non mediocre præmium, nihil

T t est

est enim immortali rationalis animi generositati magis consonum, atque adeò optabilior remuneratio, quam honor, & nominis æternata memoria, vnde ob gloriofi nominis famam apud posteros consequendā, incredibile propemodum est, quantū humana cōditio sudoris, improbiq; laboris impēderit, vt ex ipsis historiarū monumentis liquidò constat. Ex hoc autē, quod excellens adeò præmium virtuti per canonizationem Sanctorum reddatur, nemo non videt, quam facile in humanis cordibus exercendæ virtutis ardor incalescat, tum quia vt dixit Tullius *Honos alit artes*, tum quia eximius virtutis decor, eiusque Diuina excellentia ex amplitudine præmij innotescit, vnde amor virtutis summoperè excrescit, cum rationalis animi nobilitati apprimè congruat, quod veluti excellentissimum bonū amore prosequendum proponitur: tum rursus, quia voluntatibus nostris immensum calcar addit, videre viros alias pauperes, & ignotos tātum ex heroicis virtutum actibus nobilitari, vt cultu, & adoratione digni censeantur, & ad eorum pedes principes, Reges, Pontifices supplices flestant genua, inde enim concipiunt necesse est virtutem quid Diuinum esse, hoc ipso quod intueantur, eam attolli super omnia ea, quæ apud homines maximo esse in pretio nemo est qui ambigat.

9. Confirmatur. Per canonizationem sanctorum proponuntur adorandi, qui heroica virtute flourerunt, sed hoc est omnino laudabile, ergo laudanda est consuetudo canonizzandi Sanctos. Maior supponenda est tanquam certa, nemo enim Sanctorum cathalogo scribitur, qui vulgari tantum virtute clauerit. Minor probatur: quia de illici potissimum verificatur, quod dicitur Psal: 81. *Ego dixi dī estis, &*

*filij excelsi omnes*, nedum enim per communem participationem gratiæ sanctificantis, qualis reperitur in omnibus iustis, facti sunt consortes Diuinæ naturæ, verum etiam in excellentissimo gradu eis communicata fuit eadem Diuina natura; ex hoc autē eos fieri adorationis obiectum, videtur per se manifestum, si quidem adorationis actus importat subiectionem adorantis respectu personæ adoratę, & consequenter huius dominium in adorantem; porro hoc dominium Sanctis esse concedendum docuit Angelicus Præceptor explicans illud ad Rom: 8. *Apoll.* *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, cum ait. *Inter omnes S.Thom.* *partes universi excellunt Sancti Dei, ad quorum quilibet pertinet, quod dicuntur Marii: 25. super omnia bona sua constituet eū*. Inde habetur huius consuetudinis laudabilitas, quod namque est recte rationi maximè consentaneum, vti est supremum locum infra Deum tenentes adorare, ac reuereri, nequit non esse summa commendatione dignum.

### S. III.

*Probatur conclusio alia ratione.*

10. **A**d huius tertiae rationis intelligentiam præmitienda sunt duo desūpta ex D. Tho: horum primum habetur in 4. distin: 12. quæst. 2. art. 2. quæstiun: 2. *S.Thom.* his verbis. *Gloria comprehendit Sanctorum præmium, quod quidem est duplex, scilicet essentiale gaudium quod de Divinitate habent, & accidentale, idest gaudium quod habent de quocumque bono creato. Quantum autem ad præmium essentiale, secundū probabiliorem opinionem eorum gloria augeri*

augeri non potest; sed quantum ad premium accidentale, usque ad diem Iudicij augeri potest; alioquin tunc non augeretur gaudiū de gloria corporis: unde de omnibus benefactis eis gloria accrescit; quia gaudiū est Angelis Dei super uno peccatore penitentiā agente Lu-ce 15. Et ita etiam de omnibus, qua in Dei honorem sunt gaudent, & maximè de ijs, in quibus de eorum gloria Deo gratias agimus. Gaudent ergo, & non leuiter Sanctorum animæ, fæliciter cum Deo regnantes de eorum canonizzazione, per quam Ecclesia aliquod beneficium eis impertit, & Deo Sanctitatis eorum primo authori gratias reddit, ex hoc, quod ijs gloriam in præteriorum laborum coronam largiatur, ex quibus omnibus, ut mox ex Angelico vidimus, eorundem accidentale gaudium excrescit.

Secundum docuit idem Sanctissimus Præceptor in 4. dis: 45. quest. 3. art. 3. & illud est, quod sequitur. Sancti dupliciter dicuntur orare pro nobis. Uno modo oratione expressa, dum votis suis aures Diuine clementiae pro nobis pulsant; Alio modo oratione interpretationia, scilicet per eorum merita, que in conspectu Dei existentia, non solum eis cedunt ad gloriam, sed sūt nobis ut suffragia, & orationes quedam; sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere. Dupli hoc itaque modo Sancti beatitudinis statu perfruentes orant pro nobis, quicquid in oppositum oblatrent hæretici. Et huius ratio doctrine assignatur ibidem ad 4. cum in 2. solutione dicitur. Oratio ex alio meretur, & ex alio impetrat. Meritum enim consistit in quadam adequatione actus ad finem, propter quem eis, qui ei quasi merces redditur, sed orationis impetratio innititur liberalitati eius, qui rogatur: Impetrat enim aliquis quandoque ex liberalitate eius, qui rogatur, quod tamen ipse De Sanctorum Beatificat. & Canoniz.

non meruit; & ita quamvis Sancti non sint in statu merendi, tamen non sequitur, quod non sint in statu imperandi.

II. His presuppositis in hunc modum argumentamur. Illud est laudabile, quod in spiritualem Ecclesiam utilitatem summoperè cedit, huiusmodi est sanctorum canonizatio, ergo consuetudo canonizzandi Sanctos est laudabilis. Maior ex se patet, nam spirituale lucrum non avaritiæ turpitudine fordescit, sed sanctitatis decore illustratur. Minor suadetur: eo enim ipso quod Sanctorum canonizatio corundē accidentalē adaugeat fælicitatē, & aliundē pro spirituali fidelium cætu Sancti Diuinæ clementiae aures præcibus suis sollicitent, vtique titulo gratitudinis, quæ summoperè eas nobilissimas urget animas, tenebuntur nouas efficacioresq; orationes, modis assignatis Deo fundere, ut vberiores gratiæ effectus, ac spiritualia dona pro eadem ecclesia à Dei liberalitate impetrant. Hinc cum Ecclesia Sanctum canonizzat, nouum sibi apud Deum constituit patrosum, qui ardenter affectu causam ipsius gerat, id exigente ingenua admundum gratiæ animi virtute. Eò vel maxime, quia hoc ipso, quod seruus Dei fuerit Sanctorum albo conscriptus, nouis, iugibusque à fideli bus sollicitatur præcibus, tum publicè, tum priuatim profulsi, in quo ipso iterum accidentale Sanctorum gaudiū accipit incrementum, cum virtutum actibus sanctus noua vener atione colitur, vnde fit, vt gratitudinis titulus urgentius illum ad orandum pro Ecclesia impellat.

Confirmatur. Illud est laudabile, quod fidelium pietatem erga Sanctos fouet, & illos ad eorundem imitationem vehementius accendit, huiusmodi est sanctorum canonizatio, ergo consuetudo canoniz-

## 332 DE SANCT. BEATIF. ET CANONIZ.

zandi sanctos est laudabilis. Maior probatione non indiget. Minor suadetur, & explicatur in hunc modum per sanctorum canonizzationem Ecclesia beneficium aliquod praestat Sanctis, quos honoribus diuinis dignos reddit, & quorum  
S.Thom.  
 accidentale præmium adauget, redendo gratias Deo, qui eorum merita tanta gloria coronat, ex hoc autem crescit amor erga sanctos à se canonizzatos, siquidem ut optime expendit Angelicus Præceptor 2. 2, quæst. 26. art. 12. eos, quibus beneficia impertimur ardentius diligimus, & hoc tum quia beneficium est quoddam opus largiætis beneficium, unusquisq; autem naturaliter amat opus suum, sicut & suum esse, quod in opere effecto splendet, unde & Poëtæ diligunt poemata sua, & suum cuique pulchrum. Tum quia difficile est, beneficia impendere, ea verò in quibus laboramus, plus amamus, sicut quæ de facili eueniunt, facillimè contemnimus: Et ideo beatius est dare, quam accipere. Vide ibi alias rationes, quas breuitati consulentes omittimus. Ex quo habetur non leue pietatis fomentum, quæ enim multum amamus impensius colimus; ad memoriam etiam frequentius reuocamus, sicut ab ijs, quæ odio habemus mentis, corporisque oculos quantum possumus auertimus: demum promptiores reddimur ad eos imitandos, quæ enim amamus, bona utique existimamus, & bonum omnia summa promptitudine appetunt.

12. Confirmatur tursus. Per Sanctorum canonizationem membra mystici corporis ecclesiæ militantis, congaudent membris ecclesiæ triumphantis, ob singularem gloriam à Deo istis concessa, sed inde oritur Sanctos pro ecclesia militante feruentius orare, ergo con-

suetudo canonizzandi sanctos est laudabilis. Maior liquet. Minor suadetur: nā per eiusmodi congratulationem strictius necit glutiñ Chatatatis inter prædicta vtriusq; Ecclesiæ membra. Vnde Apost: 1 ad Chorin: 13. inter Charitatēs elogia ponit illius esse, quod congaudeat veritati. Et quia ut docet S. Tho: 2. 2. quæst. 27. art. 7. secundum se, ex parte obiecti melius est diligere amicum, quam inimicum, utique ex arctiori huius vinculo Charitatis fideles ecclesiæ militantis magis diligentur à Sanctis; etenim hic Charitatis rectissimus ordo retinetur etiam in Patria, ut docet idem S. Doctor quæst. 26. art. 13. quis autem vertat in dubium ardentius orari pro ijs, qui magis diliguntur? ex hoc ergo, quod Sancti canonizzentur incitantur ad hoc, quod feruentiores Deo pro nobis fundant præces: vnde consuetudo canonizzandi Sanctos erit pro ecclesia utilitate plena, adeoque summopere laudabilis.

Adde Sanctorum canonizationem non fieri ab Ecclesia, nisi præmisso rigidissimo examine circa seruorum Dei sanctissimos mores, heroicas virtutes, ac miracula; vnde fit haberi à fidelibus maximam de eorum sanctitate certitudine, quam utique non haberet ex simplici narratione egregiæ gestorum. Porro ex hac certitudine primo oritur feruentius à fidelibus Sanctos inuocari, quos ob eorum sanctitatem multum apud Deum possè sciunt, ex qua etiam feruentiori, ac iterata inuocatione vberiora ob eorundem intercessionem sanctorum consequntur spiritualia beneficia. Nascitur secundò, ut validius urgeantur, ad eorum sectanda virtuosæ vestigia, nam nihil est veritate fortius, vnde quæ à Sanctis verè exercita fuisse pro certo habemus, viuacius,

uacius , efficaciusque mouent , quæ enim fictitia putamus , facile contemnimus , vt potè vix bona in comparatione eorum , quæ realiter existunt , vel exriterunt . Tertiò tandem sequitur , virtutis arduitatem aliquo modo leniri , siquidem hoc ipso , quod maxima firmitate credamus , eam superatam fuisse à Sanctis , vt à nobis etiam vincibilis proponitur , & consequenter augetur spes , quæ animum difficultate præsum attollit , alacrioremque reddit , vt generosius obstantia impedimenta deuincat ; est ergo prædicta consuetudo plena laudis .

## S. IV.

*Soluuntur contrarie obiectiones.*

**12.** **Q**uamuis ab authoribus , qui præsentem materiam attigerunt , nulli adducantur , qui aduersus laudabilem hanc Catholicae Ecclesiæ consuetudinem senserint , arbitramur tamen heterodoxos omnes , qui sanctorum cultum execrantur , à p̄ijssima hac abhorrere cōsuetudine ; maximè cum illi alias penè dixerim regulam non sibi constituant , nisi odium , quo in Romanam tabescunt Ecclesiam . Obijcere tamen placuit aliqua , ex quorū solutione hucusque dicta maiorem lucem accipient . Sic ergo primò argui potest . Illa non est laudabilis consuetudo , quæ Gentilium ritibus est admodum similis , huiusmodi est consuetudo canonizzandi Sanctos , ergo non est laudabilis . Major constat siquidem oportet Catholica religionem à vana Gentium superstitione omnino esse alienam . Minor suadetur , quia vt ex propheticis historijs liquido constat , viguit

apud gentiles consuetudo transferendi homines inter diuos , eosque proinde Diuinis honoribus afficiendi , hoc ipsum autem per canonizationem Sanctorum præstatur vt ex dictis manifestè habetur . Consequentia liquet ex præmissis .

Respondetur concedendo maiorem , & negando minorem , omnino enim consuetudo canonizzandi sanctos , quæ in Ecclesia viget elongatur à more Gentilium : hi enim absque delectu homines , etiam prauos inter diuos referebant , quod non obscurè colligitur ex hoc quod nunquam pauperibus , & humilibus is honor deferebatur , sed imperatoribus dumtaxat , & sæculari potentia claris , vnde adulatio , non virtutis amori hoc fuit adscribendum tantoque magis moris illius crescebat impietas , quanto sæpenumero , hominibus sceleribus admodum insignibus honor ille delatus fuit : inde enim nascebatur , non uereri homines sclera perpetrare , cum ea in scelestis ijs hominibus deifica cernerent . Ab hac autem praua consuetudine quantum distet mos canonizzandi sanctos , de quo nunc loquimur , nemo non videt , summa enim severitate canonizzandorum mores examinantur , ac iure iurando ligantur testes , vt veritatem sincerissimè proferant , neque ab his honoribus pauperes , humiles , aut cuiuscumque conditionis homines arcentur , sola morum innocentia , vitæ integritas , virtutum heroica claritas habentur in pretio ; desiderantur etiam miracula , & alia non pauca , quæ sanctitatem infallibiliter probant : Nihil ergo commune habet Catholica Ecclesia cū gentilium execrandis ritibus , quæ soli virtuti , ac illibatae legis Diuinæ custodiæ fert suffragium , indeque utilitatem hanc consequitur , nempè euidentissima demonstratio ne

ne constare, se esse vnicā illam ele-  
ctissimamque Christi Domini Spon-  
sam, non habentem maculam, ne-  
que rugam, cum ipsam illustrum  
tot virorum innocentissimus candor  
exornet, ac heroicarum varietate  
virtutum distinguat.

14. Secundò obijcies. Si con-  
suetudo canonizzandi sanctos esset  
laudabilis, maximè ex firmissima  
certitudine, quam de sanctitate ser-  
uorum Dei ingenerat, atqui hoc est  
falsum, ergo prædicta consuetudo  
non est laudabilis. Maior constat  
ex dictis. Minor probatur, quia eam  
certitudinem haberi est impossibile,  
siquidem si nemo potest de seipso  
scire, vt dicitur Ecclesiastes 9. *Vtrū  
odio, vel amore dignus sit, sed omnia  
in futurum seruantur incerta;* quanto  
minus certo id poterit de alijs  
cognosci?

Confirmatur. Etiam concessso  
posse haberi moralem certitudinem  
de sanctitate alterius, sicut haberi  
potest de propria iustitia, vt satis  
communiter docent Theologi, non  
videtur tamen ea moralis certitudo  
sufficiēs ad hoc, vt aliquis inter san-  
tos referatur, & publicè propona-  
tur adorandus, ergo ea consuetu-  
do non est laudanda. Antecedens  
suadetur: quia eum ea, quæ spe-  
cant ad cultum Religionis sint gra-  
uissimi ponderis, vt laudabiliter  
siant oportet summa cautela, at-  
que adeò maxima certitudine pro-  
cedere, nec sufficiet moralis dum-  
taxat certitudo, quæ falsitatis pe-  
riculo est valde obnoxia.

Huic argumento vna cum illius  
confirmatione non possumus nunc  
adæquatè occurtere, infra enim  
examinabitur quanta infallibilitate  
gaudeat Summis Pontifex in san-  
torum canonizzazione, adhuc tam-  
ea breviter erit soluendum: ita-  
que concessa maiori, negatur mi-  
nor ad cuius probationem, quæ in-

Scripturæ authoritate fundatur di-  
cendum, quod ijs verbis triplex po-  
test denegari cognitio, nempè purè  
conjecturalis, certa & ineuidens,  
ac demum certa & euidens: & lo-  
quendo de iusto, nulla facta pecu-  
liaris reuelationis suppositione, illi  
deneganda non est conjecturalis, ac  
moraliter certa cognitio de propria  
iustitia, vt dixit S.Tho: 1.2. quæst.  
112. art. 5. siquidem per aliqua si-  
gna. & per hoc quod alicuius læ-  
thalis culpæ sibi conscientia non sit,  
vtique moraliter de sua iustitia cer-  
tus esse potest. Si verò loquamur  
supposita reuelatione Diuina, po-  
test etiam in hac vita habere omni-  
nò certam cognitionem, qnamuis  
inevidenter, qua sciat, se esse in-  
gratia; quæ reuelatio inter alios fa-  
cta est Apostolo iuxta illud 2. ad Apol.  
Chor: 12. *sufficit tibi gratia mea,*  
fitque non semel alijs Sanctis ex pri-  
uilegio peculiari, vt confidentius  
magnifica aggrediantur opera, &  
securitatis futuræ gaudium etiā in  
hac vita in eis incipiat, ac facilius  
proindè mala presentis exilij tole-  
rent. Ex quo apparet, per adducta  
verba negari tantummodo iustis  
aut cognitionem omnino certam,  
nulla facta suppositione reuelatio-  
nis, aut ea facta, negari dumtaxat  
certam, & euidenter, quæ solum  
reservatur in futurum. Hoc posito:  
cum Sanctorum canonizzatio fiat  
ex peculiari Spiritus Sancti assisten-  
tia, vt infra demonstrabitur, liquet  
ex citatis verbis probari non posse,  
incertam esse sanctitatem eorum,  
qui canonizzantur. Aliter etiam  
possent ea verba exponi de amore,  
& odio finalibus, & consequenter  
de prædestinatione, & reprobatione:  
quæ etiam non nisi ex peculia-  
ri reuelatione innotescunt, & hoc  
rarissimè, maxime quoad reproba-  
tionem; ne desperationis aditus  
pateat. Per quæ constat ad confir-  
mationem.

mationem, supponit enim dari moralem dumtaxat certitudinem, quæ fallibilitati non semel est obnoxia, quod tamen negamus, vt fusiis infra suo loco ostendemus.

## D V B I V M I I.

*Vtrum Canonizzatio Sanctorum,  
& Seruorum Dei Beatifi-  
catione essentialiter dif-  
ferant?*

**S**anctorum canonizationem à seruorum Dei beatificatione accidentaliter differre citra controver- siam est, atque adeò id non imme- ritò tanquam certum supponimus, de essentiali ergo discrimine in præ- sentiarum est agendum: & quia species, & essentia cuiuslibet rei creatæ coincidunt, idem est quære- re, an prædicta duo essentialiter dif- ferant, ac inuestigare, an specificè distinguantur. Oportet tamen, vt dubij decisionem aliqua præcedant, per quæ ad dicendorum intelligentiam via paretur, vndè ea in sequē- ti paragrapho subiçimns.

## ¶. I.

*Quedam notatu digna premit-  
tuntur.*

15. **S**ciendum itaqùè primò est; ritum canonizzandi san-  
tos non semper eūdem in Ecclesia catholica seruatum fuisse: primis enim octo sæculis canonizzabantur Sancti, per hoc, quod eorum memoria, ac dies fæsti agerentur per communem populorum acclama-  
tionem, receptamque Ecclesiæ con-  
suetudinem, requirebatur tamen,

Summi Pontificis tacitus saltem cō-  
sensus, vt authores, qui de hac  
materia scripsere afferunt. Hoc re-  
quisitum fuisse necessarium probat  
quidam author ex authoritate S.  
Tho. 2. 2. q: 97. vbi afferit haberī  
hæc verba. *Ita alicuius sancti cultus  
ex consuetudine Ecclesiarum genera-  
liter introductus vim habet ex appro-  
batione tacita, vel expressa Summi Pon-  
tificis.* Sed in primis ignoramus, cur  
diligentissimus hic scriptor omiserit  
dare articulum, in quo habeantur  
ea verba. Secundo ea in quæstione  
agit S. Tho: de *Tentatione Dei*, quæ  
est materia longe diuersa ab ea, de-  
qua citata verba loquuntur; & de-  
mum non parum laborauimus, vt  
adducta verba inuenire possemus in  
Sancto Doctore, & non potuimus,  
licet ergo credamus, ea in ipso re-  
periri, quoisque tamen proprius  
locus non assignetur de mente San-  
cti Thomæ, quoad hoc non consta-  
bit.

De eiusmodi etiam canonizza-  
tionis modo loquens P. Ioa: à S.  
Tho: in 2. 2. D. Thomæ disp: 9. *P. Ioa a  
art. 2. §. 2. ait*, certum esse eam, *S. Thomæ*  
canonizationem non potuisse pro-  
cuiusque libito fieri, sed semper  
habuisse dependentiam à iudicio  
Ecclesiæ, quod indicat locus insig-  
nis Optati Mileuit: lib: 1. contra  
Parmenianū, vbi reprehendit, quod  
quis oscularetur os alicuius mortui  
et si Martyris nondū tamen vindicati,  
hoc est approbati ab Ecclesia. Sic  
ille. Verum circa hoc dictum pri-  
mò non satis se explicat hic author,  
cum afferit expectandum Ecclesiæ  
iudiciū, seu approbationem, siquidē  
non appetet, an loquatur de Eccle-  
sia vniuersali, an verò de particula-  
ri, qualis est cæterus fidelium, cui  
præfet particularis Episcopus. Se-  
cundò quoad insigñem locum Optati  
Mileuitani, nos eum consuluiimus,  
habetur enim prædictum opus to-  
Optat. Mileuitmo

mo 4 . Bibliothecæ Patrum , & circa medium prædicti libri 1 . solum arguitur mulier quædam *Lucilla* appellata , propter hoc , quod voluerit præponere calici salutari nescio cuius hominis mortui os , et si martyris , sed nec dum ab Ecclesia vindicati . Ex quo apparent , locū hunc non esse pro præsenti materia admodum insignē , cum satis leuiter id innatur , nec præcisè redarguta fuerit ea mulier ex hoc , quod deosculata fuerit os illius hominis mortui , sed quod illud præposuerit calici salutari .

16. Quapropter dicendū nobis videtur , habuisse tunc temporis particulares Episcopos autoritatē , accedēte populi suę diocæsis communī consensu , referre inter sanctos viros defunctos fama heroicæ virtutis , & miraculorum patratione percelebres , ita tamen , vt Sanctus ille solum pro sua diocæsi coli potuerit ; nec propterea deerat tacitus summorum Pontificum consensus , qui hoc probè scientes id non vetabant .

Vnde locus Optati exponi optime , potest de iudicio illius particularis ecclesiæ , in qua vir ille martyrio occubuerat . Et sanè sic esse dicendum persuadet , quod habetur in cap: *Audiuiimus* vbi Alexander Tertiū Summus Pontifex , sibi suisque successoribus reseruauit ius , & autoritatem canonizzādi Sanctos ; ductus est autem Pontifex ad ita statuendum , quia vt eodem capite narratur , quidam homo in ebrietate in odium fidei occisus fuerat , atque adeo tanquam Sanctus Martyr colebatur . Ex quo perspicuè satis habetur , ante eiusmodi decretum Alexandri Tertiij consueisse particulares Episcopos pro suis Diocæsis bus Sanctos canonizzare , si enim ea potestate caruissent frustra per illud decretum sublata fuisset . Arbitramur tamen talem potestatem potissimum exercuisse (particulares

Episcopos erga eos , qui in odium fidei morti tradebantur , probata enim veritate martyrij clarè de eorum sanctitate , heroicaque Charitate , & fortitudine constabat ; cæterum quoad Christi confessores res est admodum occulta , & rigido examine digna : non tamen negamus , talem authoritatem Episcopis in Sanc̄tos confessores , quorum Sanctitatem communis acclamatio , & miraculorum multitudo satis testabatur . Sed hoc fusius ex dicendis in sequenti dubio constabit . Solum hic adnotamus , hunc canonizationis modum per expressam summi Pontificis sententiam non decreatum , nec se extendentem ad vniuersalem Ecclesiam , non esse eum , de quo potissimum agimus in præsenti ; vix enim à beatificatione , quæ hac tempestate habetur , secernitur : loquimur ergo de canonizzazione facta iuxta huius ætatis ritum , quem breuiter hic ponere necessarium duximus .

17. Nostris itaque his temporibus grauissimus est ritus , quo sancti canonizzantur , nam præmisso rigido eo admodum examine , quo heroicæ virtutes , ac miracula rite sunt comprobata expeditur Bulla , quam per anticipationem vocant : summo deinde Pōtifici in Vaticano templo sedenti tria fit instantia , vt ad Beati canonizzazione procedere dignetur : hac peracta solemniter declarat summus Pontifex sanctum esse eum , cuius expostulatur canonizzatio , aliquibus postmodum peractis , lectaque super adstātes oratione *Præcibus & meritis &c.* idem summus Antistes solemnem impartitur benedictionem , ac demū missam decantat vna cum oratione eius , qui Sanctorum albo conscribitur . Ex hoc emergit dubitatio , an ad canonizationis essentiam sufficiat declaratio per expeditam bullam

bullam peracta , ita vt si reliqua Pontifex omittaret , nihil per eiusmodi omissionem essentiæ canonizationis derogaretur : an verò aliqua , vel aliquæ ex adductis cæmonijs omnino ad canonizationis essentiā requirantur ?

*N.Dom.* Et quoad hoc propositæ difficultatis punctum dicendum cum N. Dominico loco adducto, requiri ad completam canonizationis essentiā , vt Summus Pontifex triplicem post illam instantiam , declareret eum esse Sanctum cuius expetitur canonizzatio . Ad huius autem clariorem intelligentiam notandum ex eodem lib: 3 . sec: 4 . cap: 16 . concl: 12 . quæ habetur longè à principio , Pontificibus , ac Concilijs res fidei definitibus assistere quidem Spiritum Sanctum: sed modo humano : idest quod quemadmodum humanum apud iudicem , tunc iudicium aliquod perfectum , esse censetur , cum lata iam est definitua sententia , secus verò ante illam : & hoc taliter , vt infra terminos eius temporis , quod definitiuam præit sententiam , & subditis liberum sit obedire , & non obedire : & iudicibus sententiam retractare , aut eam suspendere : ex hoc , quod adhuc non censeatur res illa omnino definita: quod etiam euenit alijs in rebus , ac operationibus humanais tractum temporis habentibus .

18. Humanæ huic satisque rationabili consuetudini Spiritus Sancti gratia se se attemperat , cum decernitur aliquid fidei dogmata concernens : est enim & hæc actio tractum temporis habens ; hinc non est censenda res tanquam de fide definita , quoisque tale decretum non fuerit legitimè , ac sufficienter promulgatum , nec non etiam elapsus is temporis terminus , qui eius obligationi fuerit præfixus : hinc si ante definitiuam sententiam , aut ante

*De Sanct. Beati. & Canoniz.*

tempus obligationi præfixum retrahetur , definitio non habebit locum perindeque se gerere Pontifices , ac Concilia censendum est , ac si rem non definissent , sed ea adhuc sub incude , ac discussione esset . Hæc doctrina inquit citatus author debet esse inter Theologos certa , citatque se ipsum alijs in locis vbi id docuit .

Ad rem nostram nunc accedendo satis ex se appetet , Sanctorum canonizationem vnā esse ex ijs actionibus , quibus tractus temporis competit : ex quo fit locum retractioni , ac suspensioni patere , quo usque ea actio completa non fuerit ; & quia eiusmodi complementum non habetur nisi post pronunciatam sententiam de sanctitate canonizzandi , ideo solum post illam censetur elapsum tempus obligationi præfixum , & consequenter haberi completam canonizationis essentiā .

Sic autem esse dicendum persuadet , tum tria ea instantia , quæ post expeditam bullam fit Summo Pontifici , nugatoriè enim fieret si post expeditam bullā retractioni locus non relinqueretur , quod si relinquitur , vi bullæ expeditæ non censebitur omnino edita definitua sententia , ac proindè canonizationis essentia non erit completa . Ex qua doctrina habetur , definitiōnem canonizationis Sanctorum quā dubio præcedenti num. 1. ex Canonistis adduximus , iure præpositam fuisse reliquis duabus , nam cum in ea asseritur canonizationem sancti esse , cum aliquis per Papam catalogo Sanctorum adscribitur , & publicè ac solemniter declaratur , ponuntur omnia ad canonizationem essentialiter requisita , & cum doctrina , quam modo tradidimus omnino cohæret , vt patet ex ijs ultimis verbis publicè , & solēniter declaratur .

V u Declarato

19. Declarato eo, quod ad canonizationis essentiam spectat, superest ut aliquid etiam de seruorum Dei beatificatione dicamus; definitur hæc à Cardinali Thusco, verbo *Canonizzatio* his verbis videlicet *Canonizzatio particularis in uno loco ex tolerantia, seu permissione Sedis Apostolice.* Quæ breuiter in hunc modum exponitur; prima illius particula ponitur loco generis, forte quia non habetur aliud nomen commune canonizationi Sanctorum, & seruorum Dei beatificationi, simpliciter tamen, ac rigorosè loquendo non est canonizzatio, quia ut habetur ex vltimis particulis solum est permisso, & tolerantia, quæ non importat iudicium omnino certum, ac definituum, & quia canon siue regula debet esse prorsus determinata causans certum, ac infallibile iudicium de re, cui applicatur, & quam regulat, & mensurat, idcirco batificatio solum lato modo dicitur canonizzatio, sustineri tamen potest talis particula, eo quia vsu venit, ut nomen generis applicetur speciei imperfectiori, vndē animal absolutè prolatum sumitur potius pro irrationali, quam pro rationali, respectu quorum est genus. Particula, quæ sequitur vniuersaliter non competit beatificationi, saltem iuxta vnum praesentis ètatis, hoc ipso enim, quod summus Pontifex aliquem Dei seruum Beatorum albo conscripsit, coli potest vbiique genitum; hinc credimus vltimas particulas explicare proprium distinctiuum beatificationis à canonizzazione, siue enim pro vno determinato loco, si pro vniuerso orbe catholico aliquis Dei seruus inter beatos adnumeretur, numquam profertur definitua sententia, qua statuatur colli posse ut verè beatum, sed dumtaxat sic coli permittitur, ut melius ex dicendis innotescet.

## §. I I.

*Vnica conclusio pro dubij enodatione.*

20. **D**icendum est Sanctorum canonizationem, à seruorum Dei beatificatione specie, & consequenter essentialiter differre. Ita N. Dominicus citato lib: 3. sec:4. cap:18. P.Ioa:à S.Tho:disp.9. art.2. in Secunda Secundæ S. Tho. vbi alios adducit. Probatur ratione, quæ sub hac forma proponi potest. Iudicium determinatum, quo absolutè definitur aliquè coli posse ut sanctum, specie differt à tolerantia, quæ permittitur seruum Dei, ut beatum posse à fidelibus adorari, atqui primum importatur ab essentia canonizationis Sanctorum, secundum verò ab essentia beatificationis seruorum Dei, ergo canonizzazione, & beatificatio, specie & essentia distinguuntur. Maior suadetur: quia definitiù statuere aliquid esse tale, & indulgere, ac permettere, ut pro tali possit haberri, utique sūt duo actus ex natura sua specie differentes. Minor quo ad vtramque partem constat ex allatis definitiobus: & rursus quo ad secundam, in qua posset esse non nihil difficultatis probatur, & declaratur magis, quia indubitatum est, summum Pontificem posse aliquem Dei seruum beatificare cum limitatione ad peculiarem aliquem locum, seu prouinciam, in quo ipso satis ostendit, se non procedere ut iudicem, ad quem spectat definire ea, quæ ad grauissimam Religionis materiam spectant, & consequenter suspensa adhuc vltima, ac definitua sententia, solum permittere, illum Dei seruum pro beato coli; vix enim apparere posset causa eius limitate concessionis,

*N. Dom.  
Ioa: à S.  
Thom.*

concessionis, si vltima, omninoque definitua sententia per beatificatio-  
nem proferret.

Confirmatur, & declaratur ex modo, quo proceditur in beatificatione seruorum Dei; in ea ergo à Cardinalibus Sacrae Rituū Congregationis præmittitur rigidum examen circa heroicas virtutes, & miracula beatificandi, auditisque Cōsultorum votis, decernunt ijdem Cardinales, verè seruum Dei esse beatificationis laurea donandum, hoc decretum postmodum refertur summo Pontifici, hic indulget posse tale decretum promulgari, ac Dei seruum publicè, vt beatum coli, ergo huiusmodi beatificatio, quoad summum Pontificem, nihil aliud importat, nisi illius permisssum facultatem, nulloque modo eius definitiuam sententiam. Cuius etiam non leue argumentum est, quod cū in Vaticani Tēplo sit eiusmodi beatificationis publica promulgatio summus Pontifex non assistit, sed dumtaxat Cardinales, ac Consul-tores, indē enim apparent nolle Pō-tificem se gerere, vt indicem sed dumtaxat vt indulgentem prædictam cultum. Propria namque aliquius sententia Iudicis non promulgatur eo absente, tum in propria persona, tum in aliquo sui vices ge-rente.

21. Confirmatur Beatificatio seruorum Dei se habet, vt remouens prohibens hoc, quod est ipsos publicè coli posse à fidelibus, sed hoc omnino specie distinguitur à Sanctorum canonizzazione, ergo beatificatio, & canonizzatio specie distinguuntur. Maior probatur: quia cum beatificatio sit permisso, & tolerantia cultus serui Dei, atque hoc solum importet facultatem, qua connotata licet poterit seruo Dei publicus exhiberi cultus, qua non connotata, seu non habita, illicite

*De Sanctor. Beatificat. & Canoniz.*

ei tribueretur, vnde per beatificationem remouetur dumtaxat à summo Pontifice impedimentum inho-nestatis, & consequenter nullus ab ipso tanquam à iudice præbetur moralis influxus in talem cultum, hic enim habetur ex vi decreti Con-gregationis Cardinalium, acceden-te dumtaxat summi Pontificis bene-placito, per modum requisitæ conditionis tantummodo; eo ferè modo, quo, vt diximus, primis Eccle-siae sacerulis Sancti canonizzabantur ab Episcopis, dependenter tamen, saltem à tacito summi Pontificis be-neplacito; quod tamen post decre-tum Alexandri Tertij, etiam quoad beatificationem expressum exigitur.

Minor probatur: nam in Sanctorū canonizzazione summus Pontifex per definitiū eam sententiam pu-blicè, ac solemnī ritu promulgatā verè influit positivè moraliter in ta-lem cultum, statuendo positivè tā-quam iudex, Beatum illum coli posse, ac deberi vt Sanctum; cūdens est autem, actionem purè remo-uensem prohibens, & eam, quæ positivè in eodem morali ordine, concurrit esse specificè diuersas: ca-nonizzatio ergo, & beatificatio spe-cie distinguuntur.

### §. III.

*Soluuntur oppositæ sententie ar-gumenta.*

22. **O**ppositam nostræ assertio-ni sententiam docuerunt aliqui, afferentes canonizationem Sanctorum, ac beatificationem seruorum Dei solum accidetaliter dif-ferre, & consequenter quoad spe-ciem, & substantiam conuenire, quorum dicendi modus primò sua-deri potest destruēdo nostræ sen-ten-

V u 2 t i x

## 340 DE SANCT. BEATIF. ET CANONIZ.

tiæ fundamentum, sic. Seruorum, Dei beatificatio non est nuda permisso Summi Pontificis, qua indulgeatur, ipsos à fidelibus coli posse ut beatos, ergo non differt substantialiter à Sanctorū canonizzazione. Antecedens probatur, quia summus Pontifex verè approbat decretum congregationis Cardinalium; eiusmodi autem approbatio videtur importare iudicium determinatiū de cultu seruorum Dei. Consequētia est manifesta.

Confirmatur Cardinalium congregatio iudicat determinatè seruū Dei esse cultu, & veneratione dignum, ergo pariter approbatio summi Pontificis debet esse iudiciū determinatiū de eadem veneratione præstanta seruo Dei. Antecedens constat cum Cardinales suffragijs decisiuis id decernant. Consequentia suadetur; nā ea summi Pontificis approbatio erit confirmatio decreti editi à Cardinalibus; eo ferè modo quo ea, quæ in Sacris Concilijs statuūt ab eodem Summo Pontifice approbantur, ac confirmantur: videtur autem, quod confirmatio sit complementum præcedentis iudicij determinatiui, & consequenter quod pertineat ad illius rationem, & ordinem, vt in reliquis complementis cernere licet. Eò vel maximè: quia decernente Congregatione Cardinaliū, aliquem Dei seruum esse beatificandum, si eiusmodi decretum non approbaretur à summo Pontifice, vtique validum non esset, ergo signum est summi Pontificis approbationem completere decretum illud, continēs iudicium determinatiū, adeoque habere aliquo modo rationem sententiæ determinatiæ, ac definitiæ: alias definitiū illud decretum, vt tale completere non posset.

Respondetur negando antecedēs

ad cuius probationem concedendum est, summum Pontisicem approbare Cardinalium decretū, sed hoc præstat per modū concessionis non per modum iudicij determinatiui, quo definiatur seruum Dei esse beatificationis honore dignum. Id autem melius percipietur aduertēdo, Cardinales non petere à Pontifice iudicium determinatiū, versans circa sanctitatem serui Dei, sed dumtaxat approbationem eius prudentialis admodum iudicij, quo censuerunt, seruum Dei esse cultu beatis tribuendo dignum, vnde propriè postulat amoueri impedimentum, quo vetitum est, nullum posse coli pro Beato absque beneplacito Sedis Apostolicę: hinc Pontifex huic maximè prudentiali iudicio proprium conformat, conceditque, decretum à Cardinalibus editum, posse promulgari, & consequenter permittit cultum illum, quem Cardinales, presupposito eo rigido examine, censuerunt debere concedi,

23. Ad confirmationem respōdetur distinguendo antecedens & de iudicio maximè prudentiali cōceditur, de iudicio procedente ex peculiari omnino assistentia Spiritus Sancti negatur; deinde distinguitur consequens, summè prudentiale conceditur, ortum ex peculiari prorsus Sancti Spiritus assistentia negatur. Explicatur distinctio. Hoc ipso quod Cardinales rigidum præmiserint examen circa heroicas virtutes, & miracula serui Dei, habent hoc speculatum iudicium: hic, cuius beatificatio postulatur, verè sanctimonia vitæ floruit, & eiusmodi iudicium in sui veritate pender ab obiecto à parte rei, cui, vt sit verum, oportet esse conforme, & quamvis hoc iudicium possit esse falsum absolutè loquendo ex hoc quod obiectum non sit tale; si-

cūt

cut per illud iudicium enunciatur; supposito tamen rigidissimo eo examine est maximè certum: ex hoc iudicio procedunt ad habendum aliud omnino practicum, quo inspectis omnibus circumstantijs, qualis est summa grauitas materiæ, & inconuenientibus, quæ ex errore, si forte adesset, oriri possent, prudenter iudicant, conueniens esse eum, cuius beatificatio poscitur, esse publico cultu adorandum: & ciusmodi iudicium vtpotè omnino practicum regulatur per primū, & in sui veritate pendet ab appetitu recto, cum omne practicum profus iudicium sit verum per conformitatem ad appetitum rectum, de hoc enim iudicio maximè verum est commune illud axioma: vnuſquisque iudicat sicuti est affectus: & illud: qualis vnuſquisque est, talis finis videtur ei.

Nunc ergo dicimus, primum illud iudicium elici à Cardinalibus non ex peculiari prorsus Spiritus Sancti assistentia procedens, sed ex ea humana, ac maxima diligentia, cui innititur, vndè licet in linea humanae certitudinis maximā habeat, non tamen ad infallibilitatem pertingit, & propterea hoc ipsum competit pratico prorsus iudicio, quod per illud primum & speculatum regulatur. Ex quo fit, approbationem & confirmationem Sūmi Pontificis habere pro obiecto hæc duo Cardinalium iudicia, quæ sicut non innituntur assistentiæ Spiritus sancti, ita nec approbatio, & confirmatio summi Pontificis, adeoque non habetur plus quam humana, et si maxima certitudo. Nec est simile de confirmatione Conciliorum, quia Patres concilij legitimè congregati definientes dogmata Fidei, habent peculiarem assistentiam Spiritus Sancti, quæ in ordine ad mysteria fidei fuit à Christo Domino promissa,

De qua assistentia mox dicetur. Ad ultimum, quod additur, fatemur solum decretum Cardinalium non sufficere, addenda est enim approbatio, & confirmatio Summi Pontificis, qui se habet vt supremus respectu Cardinalium, vt prudentialiter iudicantium, vndè in ipsius approbationem debet hoc prudentiale iudicium vltimo resolui, vt sit omnino completum.

24. Sed vrgebis: videtur omnino inconueniens, quod Cardinales, & summus Pontifex cum illis, cum beatificationem alicuius serui Dei modo dicto decernunt, non gaudeant peculiari assistentia Spiritus Sancti, sicut ea gaudet summus Pontifex Sanctum canonizzans, ergo ex hoc capite non est beatificatio essentialiter à canonizzazione distingueda. Antecedens probatur, tum quia maioris momenti videtur esse, non beatum, adeoque nullo gaudentem cultu, beatum & cultu dignum primo constituere: quam iam beatum, & cultu dignum præiudicatum, sanctum constituere per iudicium omnino definituum; etenim in hoc posteriori minus periculi, & difficultatis esse videtur, superato iam primo gradu; quam in eo primo, in quo ab ordine simpliciter diuerso transeundum est ad superiorem. Tum rursus: quia materia Religionis grauissima est, vtpotè solis cedens virtutibus Theologibus, non ergo excludenda est à beatificatione peculiaris assistentia Spiritus Sancti. Tum demum: quia cultus fidelium respectu Sancti canonizati non est substantialiter, ac essentialiter superior eo, qui tribuitur tantummodo beatificatis; vndè eadem assistentia Spiritus Sancti exigetur pro beatificatione, ac pro canonizzazione: ea enim maximè requiritur ad vitandum errorem, qui in cultu posset contingere.

Pro huius solutione obiectionis notandum duximus, quod Spiritus Sancti assistentia respectu Summi Pontificis duplex esse potest, una simpliciter talis, alia secundum quid talis. Prima habetur respectu summi Pontificis ut capitibus Ecclesiastici ac mystici corporis, adeoque ut supremi & visibilis iudicis controveneriarum pertinentium ad mysteria fidei, quae sunt Catholicæ Religionis occulta satis arcana. Secunda habetur respectu eiusdem summi Pontificis non ut capitibus Ecclesiæ, atque ut iudicis mysteriorum fidei, sed ut primum locum tenentis inter personas ecclesiastica dignitate fulgentes, ad quas spectat examinare ea, quae ad cultum Religionis pertinent, quae utique inferiora sunt credendis fide Diuina. Hanc distinctionem assistentiae explicamus per eam, quam tradidit Angelicus Doctor in 2. dist: 10. quæst. 1. art. 1. ad 2. dicens, Beatos Angelos dici assistentes Deo primò per hoc quod tantum essentiam Dei vident. Secundo verò modo per hoc quod non tantum eam vident: sed ipsam penetrantes, in ipsa inspiciunt eius effectus, qui in ipsa per similitudinem relucunt, & sic intime contemplari est propriè assistere, & hoc solum Angelis prima hierarchia conuenit, secundum alios verò modos, dicitur secundum quid assistere. Vide eundem p. p. quæst. 112. art. 3. Sic ergo cum Fidei mysteria sint arcana admodum occulta in ordine ad dirimendas controvenerias, quae circa illa insurge re possunt, simpliciter Spiritus Sanctus summo assistit Pontifici, redditque eius iudicium infallibile infallibilitate Fidei Diuinæ propria. Cæterum quoad alia, quae sunt mysterijs fidei inferiora, assistit Spiritus Sanctus solum secundum quid summo Pontifici, eique proinde tribuit infallibilitatem propriam iudicij hu-

mani prudentialis, quæ est solum infallibilitas moralis, atque adeo secundum quid talis, & hanc credimus esse propriam beatificationis Seruorum Dei: sed quam habeat respectu canonizationis Sanctorū dicetur dubio quarto.

25. Nunc ad obiectionem constat, antecedens concedendum de assistentia secundum quid tali causante moralem certitudinem, moraliter tantum infallibilem, cui proinde physicè error subesse potest: ad primam antecedentis probationem dicitur primò: moraliter errorem subesse non posse. Secundò negatur maioris esse difficultatis, ac grauioris ponderis procedere ad beatificationem, quam ad canonizationem. Et hoc ideo, quia cum beatus Sanctorum cathalogo scribitur, ea canonizzatio est reflexua supra beatificationem, & hæc eminenter continet, definito enim, aliquem esse sanctum, à fortiori definitum relinquitur esse beatificationis honore dignum. Ad secundam dicitur, materiam Religionis ex sua grauitate exigere eam assistentiam secundum quid, cum perfecto modo non attingitur, vti contingit in beatificatione, per quam, vt ostendimus, summus Pontifex non se gerit ut sepsum iudex, ex hoc quod non proferat ultimam ac definitiunam sententiam de Sanctimonia eius, qui beatificationis honore afficitur. Ad ultimum dicendum, cultum illum quoad rem, & ex parte fidelium esse eundem; secus quoad modum, & ex parte Pontificis, quantumuis enim fideles non sic distinguant inter beatum, & Sanctum canonizzatum, adhuc tamen cultus, qui defertur sanctis, procedit ex maiori omnino certitudine, sanctitatis eorum, & consequenter actus practicus, quo colitur, regulatur iudicio magis infallibili, quæ reguletur

# DISPUTATIO VIII. DVBIUM III. 343

reguletur ille, qui tribuitur beatis. Ex parte rursus Pontificis utique Sanctis canonizzatis conceditur vniuersalior prorsus cultus, cum non limitetur ad peculiarem aliquam Ecclesiam, uti limitari optimè potest cultus beatorum; alia etiam sunt discrimina tum quoad diem festum, celebrationem missarum, & his similia, quae ad externam spectant solemnitatem, indicantque inferioritatem simpliciter beatificationis, canonizationi comparatae.

## D V B I V M III.

*Vtrum in Ecclesia sit potestas canonizzandi Sanctos, & cuius sit hæc potestas?*

**A**uthoritas aliquid exequendi optimè ex rei exequendæ essentia, & conditione dignoscitur, cum ergo ostenderimus in quonam sita sit canonizationis Sanctorum, essentia, uiam parauimus ad demonstrandum, an in Ecclesia sit potestas sanctos canonizzandi, de qua in præsenti dubio est sermo habendum; euidens est autem, solum Deum habere potestatem efficiendi sanctos communicando illis heroicas gratiam, & virtutes, ac deum, gratias gratis datas: vnde solum est sermo de potestate declarandi, ac decernendi, an iste, vel ille verè sanctitate sibi à Deo effectiue communicata, floruerit: Non meminimus autem in huius dubij titulo beatificationis seruorum Dei, quia si ostenderimus, dari in Ecclesia potestatem sanctos cononizzandi, è fortiori demonstratum relinquetur, dari potestatem afficiendi honore beatificationis Dei seruos, illud enim prius omnino in plus est, quā hoc posterius, vt ex iam dictis est

manifestum. Et quia dubitari potest an eiusmodi authoritas solum sit concedenda summo Pontifici, an etiam tribuenda Concilijs legitimè coactis, & tandem Archiepiscopis, & Episcopis, de omnibus aliquid dicemus.

### g. I.

*Duplex assertio autoritate, & ratione probatur.*

**26.** **D**icendum est primò, concedendam esse in Ecclesia potestatem canonizzandi Sanctos. Hæc conclusio est de Fide, eamque proindè docent omnes huius materiæ scriptores. Probatur primò ex locis scripturæ supra num. 3. adductis; nam si Deus sanctorum librorum scriptoribus contulit potestatem canonizzandi viros aliquos, qui heroicis claruere virtutibus, & insignia miracula patrarunt, non est, cur eiusmodi potestas Dei Ecclesiæ denegetur. Probatur rursus ex antiquissima Catholicæ Ecclesiæ traditione, siquidem à prima prorsus illius ætate viguit eiusmodi consuetudo, dummodò fuerit sermo de substantia canonizationis sanctorum, solemnitas enim postmodum, pietate suadente, decreta est. Quoad illius igitur substantiam tenendum ab Apostolis sumptissime initium, id quod non obscurè colligitur ex eo, quod Sanctus Summusque Pontifex Clemens huius nominis primus qui S. Petri discipulus ac successor extitit lib: 8 . constitutionum cap: 33 . iussit fideles vacare ab operibus diebus festis Sanctorum Apostolorum, Stephani, aliorumque martyrum, colebantur igitur hi omnes tanquam Sanctorum Cathalogo conscripti. Amplius, vt apparet ex vita huius Sancti Pontificis,

*s. Clem.*

ex

*s. Cyp.* ex eius mandato instituti sunt pro septem Vrbis regionibus totidem notarij, qui res gestas martyrum diligentissimè conquisitas litteris commendarent, id enim nil aliud erat, quam confidere processus, ex quibus constaret, pro tuenda catholica religione eos mortem oppetisse, ut ita absq[ue] periculo erroris pro Sanctis possent haberi, & tanquam Christianæ veritatis fortissimi propugnatores, ac duces coli, in quo habetur essentia canonizationis Sanctorum. In martyrum etiam honorem dies festos fuisse institutos apertè docet S. Cyprianus epis: 37. his verbis *Dies eorum, qui excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus, sacrificia offerimus, quaties passiones martyrum, & dies anniversaria celebratione recolitur*. Videri.

*Tertull.* etiam potest Tertullianus Cypriano senior, libro de Corona Militis, vna cum glossa Pamelij. Non pauci demum Sanctorum Patrum hoc ipsum testantur, qui videri possunt apud R. P. N. Dominicum à Sanctissima Trinit: cit: lib: 3. sec: 4. cap: 18. concl: prima.

*Cenc. I.  
Gang.* 27. Solum placuit addere, quod habetur in Concilio Gangrenensi celebrato tempore S. Siluestri Summi Pontificis, circa annum Domini 324. quodque tomo I. Concil: reperies; canone igitur 20. sic scribitur. *Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus qui per loca, & Basilicas Sanctorum martyrum sunt, accusauerit, vel etiam oblationes, que ibidem celebrantur spernendas esse crediderit, memorias que Sanctorū contemnendas putauerit, anathema sit.* Cum igitur præsentī canone statuatur Sanctorum martyrum festa celebranda, & anathemate feriantur, qui omnia prædicta, contempserint, perspicuè indè sequitur, eos, quorum festa celebra-

tur, fuisse sanctorum Cathalogo scriptos, & consequenter canonizationis honore insignitos. Concludendum ergo existere in Catholica Ecclesia potestatem canonizzandi sanctos, quam antiquissima traditio tot sacerdorum successione comprobata demonstrat.

Ea, quæ nunc diximus, procedunt de canonizzazione sanctorum absq[ue] ritu solemnni habita, siquidem turbulentissima ea temporum infelicitas omni solemnitati aditum præcludebat. At quonam tempore solemniter fieri cæperit, non est omnino certum, eius tamen initium tribuitur Leoni 3. qui catholicæ præfuit Ecclesiæ anno Domini 796.

*Leo. Pap.* hic enim suppliciter potentibus Imperatore Carolo Magno, & Hillebaldo Colonensi Archiepiscopo Suibertum confessorem sanctorum fastis conscripsit, quem postea imitati sunt alij summi Pontifices. Il tamen intelligendum credimus comparatiuè ad priuatum eum modum, quo prima prorsus etate fieri consuevit, nam si loquamur de grauissima ea pompa, summam spirante maiestatem, qua nostris hisce temporibus Sanctorum canonizzatio fit, tantum antiquitatis non est illi concedendum; idemque tenendum de rigidissimo eo examine, quod canonizationi sanctorum præmititur; cæperant enim homines nobilitatis intemperanter audi, sanctissimum hunc morem vertere in gloriæ iactantiam, putantes ex nitidissima luce sanctitatis aliquid proprij haurire splendoris, si possent aliquos aut sanguine, aut professione coniunctos inter sanctos adnumerare, imitantes in hoc Iudeos, qui, ut habetur Ioa: 8, gloriabantur dicentes *Edij Abraham sumus.* Et iterum. *Pater noster Abraham est.* Summi ergo Pontifices probè scientes, Deum, in Sanctis suis adorandum in spiritu,

tu, & veritate, nec Catholicam veritatem firmissimo Christi lapide innixam ruinoso mendacij indigere fulcimento, sanctissime decreuerūt, tanta seueritate in examine testimoniis procedendum, ut supremum humanae prudentiae apicem nedum attigisse, sed quodammodo excessisse videantur. Tandem existentia huius authoritatis probari posset omnibus ijs rationibus, quibus supra dubio primo laudabilitas sanctissimae huius consuetudinis fuit demonstrata, inde enim manifeste infertur conuenientissimum fuisse, Dei Ecclesiam hac facultate non priuari, ijs tamen omissis alia tradenda est ratio, quam modo subiicitur.

28. Catholicæ Ecclesiæ relictæ est à Christo Domino potestas circa ea, quæ sunt maioris momenti, quam Sanctorum canonizzatio, ergo neganda illi non est potestas canonizzandi Sanctos. Antecedens probatur: quia in prædicta Ecclesia adest potestas proponendi aliqua fidelibus, ut credenda fide Theologali; quamuis enim nouos fidei articulos condere nequeat; potest tamen ea, quæ in Sacra Scriptura occultantur, in lucem apertam proferre, & tanquam eiusdem dogma Fidei stabilire; quod certum est fecisse Apostolos in primo Concilio Hierosolymæ coacto, in illo etenim presidente Apostolorum Principe decretum est, Gentiles ad Catholicam veritatem conuersos non fore lege circumcisionis adstringendos, & statutum illud tanta firmitate tenendum esse docuerunt, ut illud tanquam infallibile Spiritus Sancti oraculum vulgauerint, sic enim habetur Actor: 15. sub initium illius canonis *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Quem morem per sequentia sæcula secutus semper est catholicus orbis. Potrò hæc est res maioris momenti, cum sanctum cano-

*De Sanc. Beatif. & Canoniz.*

nizzatum verè esse sanctum, non sit omnino de fide, ut infra explicabimus. Consequentia liquet; nam si Romanus Pontifex, cuius autoritate Concilia conuocatur, ac firmatur gaudet infallibilitate in rebus fidei definiendis, ex eo quod tanquam Christi Vicario peculiari prorsus modo ei Spiritus Sanctus assistat, immoritò vtique eidem denegaretur potestas circa ea, quæ sunt minoris momenti, maximè quia Sanctorum canonizzatio ingentes, easque spirituales utilitates in Catholica Ecclesia pariat, vti dubio primo demonstratum est; incumbit enim summo Pontifici onus ampliandi ea, quæ ad Religionis cultum spectant, cum hæc in Dei honorem tandem referantur. Vnde Apost: ad Heb: 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in Iesu, que sunt ad Deum.* Quod exponens Angelicus Praeceptor lec: 1. sic ait: *Sicut illa quæ pertinent ad Dei cultum, excedunt temporalia, ita dignitas Pontificalis excedit omnes alias dignitates.* Non ergo Pontifices debent se implicare negotiis secularibus, praetermissis his, que sunt ad Deum. Ut igitur proprio huic muneri possit summus Pontifex satisfacere, non est ei potestas canonizzandi Sanctos deneganda.

29. Dicendum est secundò: quamuis Archiepiscopi, & Episcopi ante prohibitionem Alexandri tertij habuerint autoritatem canonizzandi sanctos pro suis diœcibus non tamen pro vniuersali Ecclesia. Hæc assertio quoad primam partem liquet ex superius dictis, potest tamen iterum breuiter suaderi ex Angelico Praeceptore, qui exponens nuper citata verba Apostoli ait. *Materia dignitatis (Episcopalis) videlicet, de qua ibi est sermo) est quia Pontifex principatur.* Nā sicut principatur dux, vel rector in ciuitate, ita iste Pontifex in his,

*qua ad Deum, supple, ordinantur. Exodi 4. Tu eris ei in his, qua ad Deum pertinente. 2. Chorin, 10. Arma militie uostre non sunt carnalia. Sicut ergo ad ducem, & Ciuitatis Rectorem spectat habere potestatem disponendi, ac decernendi ea, quæ ad belli, & ciuilis gubernationis finē perducunt; ita ad Archiepiscopos, & Episcopos, quibus cura Diuini cultus à Deo fuit demandata, spectabit statuere, quæ hunc finē concernunt, inter quæ connumerandam esse Sæctorum canonizationem, satis ex se manifestum apparet, & clarè deducitur ex utilitatibus spiritualibus, quas supra oriri ostendimus ex predicta sanctorum canonizzazione. Hęc intellige supposito saltem tacito consensu Summi Pontificis.*

Probatur nuac quoad secundam partem breuiter tamen supponendo duo; quorum primum est quod si cuti Deus Angelos inferiores per superiores illuminat, & instruit, ita, & homines per Angelos pariter illuminat, & consequenter cum Spiritus Sanctus peculiariter assistit aut summo Pontifici, aut Archiepiscopis, & Episcopis, quos in maxima Ecclesiastica dignitate constituit, utquę id præstat per Angelos, quos ad ipsorum custodiam peculiariter constituit. Ita S. Tho: p. p. quest. 103. art. 6. & alibi səpē, cum agit de ordine gubernationis rerum creatarum, quem Deus ut summus prouisor semper obseruat, loquens autem idem S. Doctor de Angelo illuminante personas in dignitate aliqua prelationis constitutas hęc ait in 2. distin: 11. quest. 1. art. 2. ad. 4. *Illa officia, quę ad multitudinem pertinent, diriguntur per Principatus, vel Archangelos; & ideo homo in prelatione constitutus illuminatur ab Angelo inferioris ordinis de his, quae ad statum personæ sue pertinent. Sed ab Angelo Prin-*

*cipe de his, quae spectant ad regimen multitudinis.*

30. Secundò supponendum, huiusmodi Archangelorum, seu Principatum vniuersali custodię assignandos esse suos limites, ultra quos eadem custodia, adeoque & illuminatio, ex eadem custodia na scens, non se extendit: ita ut quanto custodiens fuerit superior, tanto ipsi ampliores termini assignentur. Ita S. Doctor p. p. quest. 113. art. 3. his verbis: *Hoc videtur esse minimum in officiis Angelorum procurare ea, quę ad salutem unius hominis pertinent. Alia verò est custodia vniuersalis, & hęc multiplicatur secundū diuersos ordines, nam quanto agens fuerit vniuersalus, tanto est superius.* S.Tho.

His positis in hunc modum efformatur ratio. Ad Sanctorum canonizationem requiritur peculiaris assistentia Spiritus Sancti, sed hanc non habent Archiepiscopi, & Episcopi pro vniuersali Ecclesia, sed tantum pro suis diœcesibus ergo Archiepiscopi, & Episcopi non habet potestatem canonizzandi sanctos pro vniuersali Ecclesia, sed tantum pro suis diœcesibus, etiam præscindendo à predicta Alexandri tertij prohibitione, ut nunc de ijs loquimur. Maior liquet ex dictis, sic enim exigit maxima grauitas materiæ religionis. Minor ex notandis est manifesta, cum enim ea assistentia Spiritus Sancti non habeatur nisi mediantibus Archangelis, seu Principiis illuminantibus Archiepiscopos, & Episcopos, & rursus predictis custodibus prefixi sint proprii limites, quos nequeunt præterire, aperte satis inde deducitur eiusmodi potestatem exigentem, predictam assistentiam, ut debite, & absquę erroris periculo exerceatur, non se extendere ad vniuersalem Ecclesiam, sed sistere omnino intra limites diœcesis vnicuique.

Archic-

Archiepiscopo , aut Episcopo assi-  
gnatæ.

*Confirmatur : Potestas prædicta  
in Archiepiscopis , & Episcopis est  
peculiari modo à Deo, sed potestas  
à Deo collata ordinatissima est, ergo  
Archiepiscopi, & Episcopi non pos-  
sunt habere potestatem canonizzan-  
di Sanctos pro vniuersali Ecclesia,  
sed dumtaxat pro suis diœcesibus:  
Maior constat : nam si omnis pote-  
stas est à Deo , vt dixit Apost: ad  
Rom: 13 . vtiquè potestas circa ea,  
quæ spectant ad cultum Dei, est pec-  
uliari modo ab eodem Deo. Minor  
habetur ex eodem Apost: dicente  
ibidem , *Quæ autem sunt à Deo , or-  
dinata sunt . Et huius rationem affi-  
gnans Angelicus Præceptor hæc ait.*  
*Cuius ratio est , quia Deus omnia per  
suam sapientiam fecit , secundum illud  
Psal: Omnia in Sapientia fecisti . Est  
autem proprium Sapientie omnia ordi-  
nare disponere . Sapien: 8 . attingit à  
fine usque ad finem fortiter , &  
diponit omnia suauiter . Et ideo oportet  
effectus Diuinos ordinatos esse . Iob:  
38 . Numquid nosti ordinem celi , &  
pones rationem eius in terra. Duplicem  
autem ordinem Deus in suis effectibus  
instituit ; Vnum quidem , quo omnia  
ordinantur in ipsum . Proverb: 16 .  
Vniuersa propter semetipsum operatus  
est Dens, Alium verò quo effectus Di-  
uini ordinantur ad inuicem , sicut di-  
citur Deuteronom: 4 . de sole , luna , &  
stellis , quæ fecit ea in ministerium  
cunctis gentibus . Ex quo habetur  
manifesta probatio consequentia:  
nam si creatæ potestates , quæ sunt  
Diuini effectus , habent ordinem ad  
inuicem , oportet inferiorem con-  
tineri intra suos limites , quos si  
excederet haberetur maxima con-  
fusio , tollereturque decentissima-  
ea ordinis dispositio , quam inge-  
niosissima sapientia ars , suis in effe-  
ctibus constituit .**

31 . Sed hic emergit dubitatio,  
*De Sanctor. Beatificat. & Canoniz.*

quam nemo , quem viderimus , mo-  
uit . An videlicet Archiepiscopi qui  
aliquo modo suffraganeis præsunt  
Episcopis , habere potuerint pote-  
statem canonizzandi Sanctos , qua  
possent eosdem suffraganeos , ho-  
rumque subditos obligare ad eoru-  
dem Sanctorum venerationem , &  
cultum ? Et videtur negatiuè respō-  
dendum . Quod vt percipiatur no-  
tandum primo ex S. Tho: in 2 . dis: S.Thom.  
44 . in postrema expositione textus,  
quod potest potestas superior , & in-  
ferior ita se habere , quod ambe orian-  
tur ex una quadam supraem potestate ,  
qua unam alteri subdit , secundum  
quod vult : & tunc una non est supe-  
rior altera , nisi in his , quibus una  
supponitur alijs à supraem potestate , &  
in illis tantum est magis obediendum  
superiori , quam inferiori , & hoc mo-  
do se habent potestates Episcopi , &  
Archiepiscopi descendentes à Papæ po-  
testate . Deinde iterum ad secundum  
hæc subdit . Dicendum quod in illis ,  
in quibus magis obediendum est Epi-  
scopo , quam Archiepiscopo , Archiepi-  
scopus non est superior Episcopo : sed  
tantum in casibus determinatis à Iure ,  
in quibus ab Episcopo recurritur ad  
Archiepiscopum . Quinam autem  
sint casus in quibus subditi Episco-  
po recurrere possint ad Archiepisco-  
pum , iuxta Iuris dispositionem ,  
declarauit idem S. Doctor Quod:  
12 . art. 30 . his verbis . Archiepi-  
scopus , quia non habet immediatam  
iurisdictionem in omnes sui Archiepi-  
scopatus , nisi ex appellatione , non  
posset alicui dare licentiam , vel autho-  
ritatem audiendi confessiones , contra  
voluntatem Episcopi diœcensi suffra-  
ganei .

32 . Ex qua Angelici doctrina  
habetur Episcopum subdi Archie-  
piscopo quoad casum appellationis  
subditorum Episcopi , sic enim iura  
determinarunt , & consequenter  
quoad reliqua non dari subjectione;

nam cum eiusmodi subjectio non oriatur ex natura Episcopalis dignitatis respectu Archiepiscopaloris, sed tantummodo ex voluntate libera summi Pontificis, standum omnino est determinationi illi factae à iure, declarante prædictam Pontificis voluntatem. Et quia casus canonizationis Sancti est diuersæ rationis à prædicta appellatione, sequitur, non posse Archiepiscopum canonizare Sanctum pro diœcesi Episcopi suffraganei, nec istum teneri ad ipsi parendum, & consequenter nec illius subditos. Sed quid dicendum in euentu quo Episcopus canonizaret Sanctum pro sua diœcesi, & subditi illius rationabiliter dubitarent de Sanctitate Canonizzandi, possent ne isti, ne compellerentur Sanctum venerari, appellare ad Archiepiscopum? Et videtur respondendum, quod possent, nam iuxta traditam doctrinam subditis Episcopi quoad appellationem patet recursus ad Archiepiscopum secundum iuris determinationem, quæ videtur etiam ad hanc materiam se extendere.

### §. II.

*Duae aliæ assertiones autoritate & ratione probantur.*

33. **D**icendum est tertio legitimum, & generale Concilium habet autoritatem canonizzandi Sanctum pro vniuersali Ecclesia, dummodo eius canonizatio confirmetur à Summo Pontifice, tacito saltem consensu. Prima huius assertione pars probatur primo, ex facto; siquidem in Concilio Constantiensi canoni Sanctorū scriptus fuit S. Rocchus, cum enim pestis in ciuitate grassaretur, Patres

illius Concilij, vt se ab illa redde rent immunes, indicta publica supplicatione eius Sancti imaginem deuotè circumferri iusserunt, & eo, quod postulabunt obtento absque alio solemni ritu D. Roccus inter Sanctos relatus est. Probatur secundò: nam in bulla canonizationis S. Eduardi Regis Angliæ, quæ habetur tomo 1. Bullarij Romani Alexander Tertius, qui illum Sanctorum numero adiunxit hæc inquit *Negocium tam arduum, & sublime non frequenter solet nisi in solemnibus Concilijs de more concedi.* His enim verbis apertè docetur, solemnibus adeoquè vniuersalibus Concilijs consuetum fuisse Sanctos canonizare. Deindè facilè probatur, tum quia si ante Alexandri Tertiij prohibitionem id potuere Episcopi particulares, quantò magis generalia Concilia, in quibus plures in Spiritu Sancto conueniunt. Tum etiam quia eiusmodi concilijs peculiari prorsus modo assistit Spiritus Sanctus, vnde, & decernunt res maioris momenti nempè ea, quæ ad Fidei articulos pertinent. Hinc patet, ante prohibitionem Alexandri tertij hoc ipsum potuisse concilia Provincialia intra limites propriarum Diœcesum. Secunda vero eiusdem assertione pars constat ex communia doctrina, qua asseritur, Concilia omnia indigere confirmationem summi Pontificis, de quo alibi. Notanter verò diximus, sufficere tacitum consensum, & confirmationem, vt decreta circa canonizationem Sanctorum differant à statutis quantum ad Fidei articulos, quæ oportet expressè esse confirmata. Sicut etiam post prohibitionē Alexandri tertij requireretur eadem expressa confirmatio, sicut de Fidei dogmatibus dictum est.

34. **D**icendum est quartò: Summus Pontifex habet potestatem canoniz-

Bullari.  
Rom.

canonizzandi Santos pro vniuersali Ecclesia . Ita omnes huius materiæ Scriptores ; & sanè posito quod in Ecclesia detur eiusmodi potestas , vt ea dari probauimus in nullo conuenientius , & rationabilius est eam ponere , quam in supremo illius capite , summo videlicet Pontifice . Deinde id suadetur ex antiquissima traditione , vt enim supra ostensum est , quocūque modo facta fuerit Sanctorum canonizatio , semper exigitus est tacitus saltem summi Pontificis consensus . Rursus id ipsum constat ex capite *Audiuiimus , de reliquijs , & ueneratione Sanctorum* , cum in eo Alexāder Tertius sibi , suisque successoribus reseruauerit potestatem Santos canonizzandi . Quamplures etiam alij textus hoc ipsum asserunt sed præsertim habetur ex capite *Gloriosus* , in sexto , & ex glossis illius : adducuntur ibi quinque rationes , ex quibus prædicta potestas *N. Dom.* probatur ; eas adducit N. Domin: loco citato conclus: 2 . vbi eas videre poteris . Nobis placuit aliam adducere , eamque doctrina Angelici Præceptoris communire .

Probatur ergo ratione in hunc modum . Canonizzatio importat iudicium omnino determinatum de sanctitate serui Dei , ita vt eiusmodi iudicium habeat munus regulæ certificantis nos de prædicta sanctitate , sed potestas ferendi hoc iudicium pro vniuersali Ecclesia soli competit summo Romanoquè Pontifici , ergo potestas canonizzandi sanctos pro vniuersali Ecclesia verè competit summo Pontifici . Maior manifesta relinquitur ex definitione canonizationis sanctorum quam in superioribus tradidimus , & explicuimus .

35. Minor , quæ sola probatione desiderat vt probetur præmittendū ex S- Tho: 3 . p. quæst. 59 . art. 1. dicente , quod ad authoritatib[us] , ac

perfectè iudicandum tria requiruntur . Primò potestas coercendi subditos . Secundò rectitudinis zelus . ad hoc vt quis ex amore iustitiae moueatur ad sententiam proferendam , & hæc duo prærequiruntur ad iudicium . Tertium verò , & maximè proprium potestatis iudicandi est sapientia , secundum quam accipitur forma iudicij , quia ipsa ratio iudicij est lex sapientie , vel veritatis , secundum quam indicatur . Et quia Filius est Sapientia genita , & Veritas à Patre procedens , & ipsum perfectè representans , ideò propriè iudicaria potestas attribuitur Filio Dei .

S.Thom.

Nunc probatur minor , ostendendo has tres conditiones maximè conuenire summo Pontifici iudicium ferenti circa sanctitatem scribendi inter Santos ; & quantum ad primam , certissimum est , potestatem coercendi omnes vniuersales Ecclesiæ fideles soli competere summo Pontifici , à cuius potestate dependent omnes Episcopi , & Archiepiscopi , & consequenter omnes eorū subditi , vt supra dictum est ex S: Tho: in 2 . dist. 44. quod magis illustrare possumus ex alijs verbis ; quæ ibidem habet Sanctus Doctor dicens . *Sicut in naturalibus causa prima plus influit supra causatum causæ secundæ , quam ipsa causa secunda , ut in libro de causis dicitur . Et sicue se habet potestas Dei ad omnem potestatem creatam : sic etiam se habet potestas Imperatoris ad potestatem Proconsulis : sic etiam se habet potestas Pape ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia : quia ab ipso Papa gradus dignitatis diuersi in Ecclesia disponuntur , & ordinantur , unde eius potestas est quoddam Ecclesiæ fundamentum , ut patet Matth: 16 . Et ideo in omnibus magis tenemur obedire Pape , quam Episcopis , vel Archiepiscopis , vel monachus Abbatii , absque ulla distinctione . Ex quibus apparet amplissima prorsus summi Pontificis potestas coerci-*

S.Tho.

# 350 DE SANCT. BEATIF. ET CANONIZ.

coercitiua in omnes particulares Ecclesias , ac fideles .

36 . Quoad secundam conditionem , nempè zelum rectitudinis , & amorem iustitiae suadetur , quia hæc sunt maximè propria Spiritus sancti , siquidem vt optimè aduertit idem Sanctus Praeceptor p. p. quæst.

S.Thom. 36 . art. 1 . *Nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem , & amorem significare videtur . Nam flatum , & ventum spiritum nominamus . Est autem proprium amoris , quod moueat , & impellat voluntatem amantis in amatum . Sanctitas verò illis rebus attribuitur , que in Deum ordinantur . Quia igitur Persona Diuina procedit per modum amoris , quo Deus amat , conuenienter Spiritus Sanctus nominatur . Ex amore ergo sanctitatis , que est ipsamet rectitudo et iustitia , proprium nomen Persona Diuina Spiritus Sancti sortita est . Ex quo fit , quod cum Spiritus Sanctus summo Pontifici peculiari omnino modo assistat , & magis quam cuicunque alij in ecclesiastica dignitate constituto , vtique zelus rectitudinis , & amor iustitiae ex perfecta hac Diuini Spiritus assistentia in eo vigeat , & pro vniuersali Ecclesia , quam vt supra pariter declarauimus eadem assistentia respicit .*

Tertia demum conditio sic competit summo Pontifici pro vniuersali Ecclesia vt in ea similem non habeat : nam cum gerat vices Christi Domini increatæ Sapientiæ supra omnes vberrimo eius lumine ipsius mens perfundetur . Et sanè si Verbum Patrem perfectè repræsentans , est eiusdem Sapientia , vt dixit Angelicus , Summus Pótifex Christum ex huius vicaria dignitate repræsentans , erit sapientia Sapientiæ increata proportione tamen seruata . Cōpetunt ergo Summo Pontifici pro vniuersali Ecclesia conditiones requisiæ ad iudicariam potestatem , habendam circa sanctitatem seruo-

rum Dei , quos proindè iure merito poterit sanctorum canoni scribere per iudicium omnino determinatum .

## S. III,

### *Soluuntur contraria argu- menta.*

37 . **A** Duersus primam assertiōnem , si quod militat argumentum , iam solutum est dubio primo huius disputationis , adeoque in præsentiarum nihil addendum supereſt . Contra secundam assertionem quoad primam illius partem obijci potest in hūc modum . Si Episcopi aliquando habuissent authoritatem canonizzandi Sanctos pro suis diœcesibus , iniuste ea per summum Pontificem priuati fuisset atqui hoc est falsum , ergo numquā Episcopi habuerunt facultatem canonizzandi sanctos pro suis diœcessibus . Maior probatur , quia cum habuerint omnia requisita ad id præstandum , ex vi Episcopalis munieris , vti ex nostris rationibus ostēsum est , nulla fuisset iusta causa priuandi eos tali facultate , nam error , qui fortè contigit , potest etiam euenire in ijs , qui à summo Pontifice inter sanctos scribuntur . Minor & consequentia constant .

Respondetur negando maiorem , vt enim ex S. Tho: ostendimus , particularium Episcoporum potestas deriuatur à potestate summa Romani Pontificis , à cuius voluntate potest pro libito , rationabiliter tamen restringi . Tum etiam , quia Summus Pontifex vberiori Spiritus Sancti luce gaudet , quam alij particulares Episcopi : quo fit vt ille comparetur ad istos , tanquam Angelus supremus ad inferiores : & quia isti secundum naturalem ordinem illuminantur à superioribus ,

&

& ut dixit S.Tho: in 2.dist. 11. quæst. 1. art 5. ad 4. Eorum, quæ nesciunt, cognitionem à Deo, vel à superioribus Angelis expectant. Idcirkò iure optimo decernere potuit summus Pontifex, vt ab eius iudicio expectarent alij Episcopi lumē, quo dijudicare possent de sanctitate Canonizzandorum. Per quod patet ad maioris probationem. Ad id, quod assertur, de errore, qui posset contingere in Canonizzatis à Summo Pontifice, constabit ex dicendis dubio sequenti. Pro modo dicimus, indubitatum esse, facilius errorem contingere posse in Canonizzatis à particularibus Episcopis, tū defectu luminis, quo non gaudent in tanta copia, vti summus Pontifex: tum quia sicut majori difficultate obtinetur à summo Pontifice canonizzatio, quam à particularibus Episcopis, ita rigidius præcedit examen, ipsaque temporis diuturnitas, quæ veritatis mater est, eam commodius profert in lucem.

38. In secundam eiusdem assertionis partem argui potest primò autoritate Fabiani Papæ scribentis Episcopis, vt omnem diligentiam adhiberent in sanctis proponendis: indè enim videtur colligi, habuisse potestatem canonizzandi Sanctos pro vniuersali Ecclesia. Sed primò dicitur summum Pontificem solummodo scripsisse illis, vt Notarijs fideliissimis committerent acta martyrum excipere, quod non erat propriè sanctos canonizzare, sed eorum confidere processus. Ita P. Ioa: à S. Tho: loco citato. Secundò dicitur solum indè haberi præcepisse eam, diligentiam in proponendis Sanctis populis suarum Diocesum, non verò vniuersali Ecclesiæ, vt de se patet.

Secundò arguitur. Vniuersalis Ecclesia veneratur aliquos Sanctos, quos certum est canonizzatos so-

lummodò fuisse à particularibus Episcopis, ergò hi saltem aliquando habuerunt potestatem canonizzandi sanctos pro vniuersali Ecclesia. Respōdet Belar: lib: 1. de Beatit: Sancto: cap: 8. vniuersalē Ecclesiam Belarm: verè cœpisse colere prædictos sanctos non tam lege aliqua, quā consuetudine, quæ habet vim legis ubi principis accesserit consensus, vt docet S.Tho: 1. 2. quæst. 93. art. 3. Ita eorum sanctorum cultus ex consuetudine viget in vniuersali Ecclesia, tacitè saltem consentiente Summo Pontifice. Addimus, Romanos Pontifices maximam adhibuisse diligētiam, vt non nisi eorum sanctorum admittatur veneratio, quos iuxta prudentissimam æstimationem constet satis communiter cultos fuisse vt sanctos, eorumque nomina diuersis in martyrologijs fuisse nota. In quo plurimum laboris ac studij impendit Eminentissimus Baronius, Ecclesiasticorum monumentorum diligentissimus lustrator, & Scriptor. Idque omnino sufficit, ne imprudenter, imò valde prudenter, ab vniuersali Ecclesia cultu digni censeantur.

39. Tertiò arguitur. Hoc ipso quod sanctorum aliquis à particula- ri Episcopo canonizzatus fuerit, omnes adeuntes eius diocesim te- nentur illum venerari vt sanctum, ergò Episcopi antè sèpè dictam inhibitionem habuerunt potestatem canonizzandi Sanctos pro vniuersali Ecclesia. Antecedens suadetur, nam sicuti præcipiente Episcopo ieunium pro sua diocesi, omnes eā adeuntes lege illius ieunij adstrin- guntur: ita quoad presens. Conse- quentia constat; alias solum posset subditos suę diocesis ad sancti cul- tum adstringere, non verò alios.

Confirmatur. Posito quod antè factam prohibitionem Episcopus aliquis Sanctum pro sua diocesi ca- nonizzasset

nonizzasset, posset alterius diœcesis Episcopus inhibere sibi subditis, ne illum venerarentur ut sanctum, sed inde oriretur fidelium scandalum, habereturque dissentionum occasio, ergo potest canonizzandi sanctos, quam habet peculiaris Episcopus videtur extendenda ad omnes Ecclesias, ad vitanda prædicta inconuenientia. Maximè quia absurdum etiam videtur Spiritus Sancti assistentiam determinato illi loco assignare.

Respondeatur ad argumentum distinguendo antecedens, & quoad cultum externum conceditur, quo ad internum negatur: deinde absolute negatur consequentia. Explicatur distinctio; nam etsi adeuntes eam diœcsem possent licet, & prudenter cultu interno sanctum, venerari, conformando se sententię eius Episcopi, qui præsumit eam prudenter tulisse: non tamen ad id obligarentur, sed dumtaxat ad externum, & hoc ad vitandum scandalum, & rursus quia Episcopus haber facultatem obligandi ad illū omnes existentes in sua diœcesi ad remouendas discordias, & perturbationis periculum, quod ex denegatione eius externi cultus oriretur, ex hoc quod suis diœcesanis insurge posset dubitatio de vera sanctitate eius qui inter sanctos relatus est. Ad id quod assertur de ieiunio, saltem credimus obligari sic adeuentes ad non publicè frāgendum ieiunium; & hoc propter easdem causas; an verò etiam teneantur ad secretò illud non frangendum, suo loco examinabitur.

4o. Ad confirmationem dicimus, verè dissensiones illas sequi posse, hæ enim non semel euenerunt etiam inter viros sanctitate ac doctrina celebres, vt inter Santos Augustinum, & Hieronymum. Et quod in plus est inter Sanctissimos

Ecclesiæ vertices Petrum & Paulum. Vt enim scripsit Apostolus ad Galat: 2. Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem restiti, quia reprehensibilis erat Videatur S. Tho: lec: 3. in citatum caput. Indè tamen nullatenus sequitur aliquid aduersus nostram assertionem, quia ex rationibus adductis habetur sic esse dicendum, nec oportet vitari posse omnia scandala, alias ex hoc mundo deberemus exire, & forte neque id sufficeret, cum etiam inter Angelos bonos, absque vlla tamen culpa, aliqua admittatur fuisse discordantia opinionum. De quo S. Tho: p.p. quæst. 113 art.8. Quarè solum ex hoc colligi potest, conuenientissimè Alexandrum tertium ad hæc omnia præcauenda abstulisse particularibus Episcopis autoritatem, canonizzandi sanctos, nā frigescente charitate absidauit nequitia, quæ ex sèpènumerò parturit inconuenientia. Ad id, quod additur, liquet ex dictis, nullum absurdum eam importare coarctationem, quia etsi assistentia Spiritus Sancti ex se possit esse vniuersalissima, attemperat se modo humano, seruando ordinem debitum ad vitandam cōfusionem. Maximè cum id præstet ministerio Angelorum, quorum virtus est definita loco particulari, vt iam ostendimus. Circa assertionem tertiam nihil se offert obijciendum.

Quartæ demum conclusioni obstatre videtur quod habetur ex q: 7. can: *Nos si incompetenter*. Siquidem ex ea colligi potest supremam iudicandi potestatem non esse apud Sūmum Pontificem, nam vt ibi refertur, Leo Papa subdidit se Imperatoris iudicio, De hoc tamen commodius agetur dubio sequenti, nam pertinere videtur ad infallibilitatem iudicij summi Pontificis, circa sanctorum canonizationem, adeoque hic supersedendum duximus.

DV.

<sup>Apol.</sup><sup>S.Thom.</sup>

## D V B I V M I V.

*Vtrum Summus Pontifex in Beatificatione Seruorum Dei, & Beatorum Canonizzazione possit errare?*

41. **D**uo in titulo enumerata coniungimus, quia satis sunt inter se connexa, est enim Beatificatio seruorum Dei dispositio quædam ad canonizationem sanctorum, quia tamen ut vidimus, beatificatio specie distinguitur à canonizzazione, oportet singillatim de vtraque agere, quod præstabimus diuersis assertionibus, quas tamen præire debet aliquod notandum, ex quo ea quæ dicenda sunt omnino pendent.

Sciendum ergo, triplicem posse dari certitudinem. Primam appellamus moralē, quæ habetur, cum diligentia humano modo possibilis adhibita est, in ordine ad certificandum intellectum de rei veritate, & non est hic sermo de qualibet diligentia, sed de ea, quæ sit maxima, hæc enim solummodo sufficit maximæ grauitati rei, de qua nunc agimus, adeoque erit certitudo orta ex diligentissimo operandi modo, contento tamen intra humanam potestatem. Hinc ex prædicta certitudine operans nedum prudenter, sed prudentissime censemur operari. Secunda certitudo vocatur physica, cum videlicet sufficit ad causandam demonstratiuam, hoc est scientiam cognitionem: ea enim est, quæ fundatur in principijs naturaliter infallibilibus, vndè quod hoc modo fuerit certum, non poterit fallibilitati subesse, nisi per absolutæ Dei potentiae miraculum, quo in aliqua naturæ lege dispensatur, ut saepissime contingisse certum est, tū

*De Sancti. Beatif. & Canoniz.*

ex Sacra Scriptura, qua asseritur ignem Babilonicæ fornacis non combussisse tres pueros; tum ex Sacris alijs historijs. Tertia demum est perfectissima prorsus certitudo, & Metaphysica appellatur, & tunc datur, cum nec per absolutam Dei potentiam potest oppositum contingere, qualis reperitur in his propositionibus *Deus est unus, & Trinus. Deus est prima causa, & his similibus*, in earum enim certitudine veritatis dispensatio omnino est impossibilis. Hoc posito.

## §. I,

*Prior dubij pars prima assertio-ne deciditur.*

42. **D**icendum est primò, summu[m] Pontificem in beatificatione seruorum Dei moraliter loquendo non posse errare. Adduci posset pro hac assertione P. Ioa: à S. Tho in 2. 2. disp: 9. §. 5. sed P. Ioa: à  
S. Thom. reuera minorem infallibilitatem, ipse tribuit summo Pontifici beatificanti Dei seruos, quam nos tribuamus, ut ex dicendis in nostra ratione, & solutionibus argumentorum innotescet. Videtur autem tenenda ab ijs, qui docent, seruorum Dei beatificationem à sanctorum canonizzazione specie distingui, siquidem iuxta hunc dicendi modū minor est infallibilitas, qua gaudet summus Pontifex in beatificandis Dei seruis, quam in ijs sanctorum, cathalogo scribendis.

Probatur conclusio ratione. Beatificatio seruorum Dei importat iudicium, seu sententiam Cardinalem definientium licitum esse permittere cultum publicum Beatificando reddendum, & permissionem eiusdem cultus à Summo Pontifice factam, atqui totum hoc non impor-

Y y tat

rat nisi certitudinem moraliter infallibilem, ergo summus Pontifex in beatificatione seruorum Dei moraliter loquendo errare non potest: maior constat ex superius dictis, cum essentiam beatificationis seruorum Dei explicimus. Minor suadetur, quia iudicium illud practicum, quo decernunt Cardinales, licitum esse praedictum cultum permettere, regulatur per iudicium speculatum, quo ex rigidissimo examine virtutum heroicarum, & miraculorum serui Dei habent de sanctimonia vita illius: porrò examen illud, quantum maximè seuerum, continetur tamen intra limites humanæ diligentiae, quæ utique fallibilis est, iuxta illud Sapien: 9. Cogitationes mortalium timidae, & incertæ prouidentiæ nostræ. Hinc quamuis certitudo praedictæ definitiæ sententiæ Cardinalium sit admodum magna, adhuc tamen non pertingit ad certitudinem moraliter infallibilem, sed huiusmodi infallibilitatem habet ex superueniente permissione superiorum Pontificis, ex qua Cardinalium sententia habet complementum, ita ut ex humanæ diligentie, quibus nititur sententia Cardinalium, et si absolute loquendo sint fallibles, coniuncte tamen summi Pontificis beneplacito intra proprios limites, & consequenter moraliter redundunt infallibles.

\* 43. Et ratio huius videtur esse, quia eiusmodi summi Pontificis permisso est via quedam, licet diversæ speciei, ad sanctitatis definitiæ sententiam per canonizzationem ponendam, quarè videtur ei concedenda aliqua infallibilitas, minima saltem, qualis est moralis, sicuti canonizationi maior omnino ac perfecta, iuxta ea quæ infra dicentur, conceditur infallibilitas; sicuti enim dispositiones ultimæ ad formam ignis deficiente virtualiter

sunt forma ignis, quam ex sua natura dispositiue inferunt: ita quoad præsens proportione seruata. Tum rursus, quia in materia admodum graui putandum non est, omnino deesse aliquam Spiritus Sancti assistentiam, cum respectu Cardinalium decernentium, tum & maximè respectu summi Pontificis permittens eum publicum cultum Beatificato reddendum, quarè ratione istius praedictæ humanæ diligentiae, quibus nititur beatificatio, reddentur infallibles intra proprios limites, & consequenter morali modo, unde attingent summum prorsus gradum certitudinis, qui possit morali certitudini competere, infallibilitatem videlicet.

Nequè dicas, quod si praedictæ diligentiae ex hac Spiritus Sancti assistentia redundunt infallibles, reddentur tales nedum moraliter, sed etiam metaphysicè, cum Spiritus Sanctus metaphysicè loquendo nec falli, nec fallere possit. Respondeatur enim, infallibilitatem à Spiritus Sancti assistentia communicatam, praedicto diligenti examine se attenerare conditioni eius, quod afficit, est namque modus quidam ultimo proficiens moralem certitudinem, vnde, & moralis tantummodo erit, adeoque deficiens quedam, & imperfecta admodum participatio eius infallibilitatis, quæ communicatur articulis Fidei autoritati Dei dicentis innixis,

Hinc deducimus, quod si quis seruo Dei inter beatos conscripto negaret cultum, existimando verè beatum non esse, peccaret peccato temeritatis, essetque saltem de errore vel leuiter suspectus, cum valde pium sit estimare, Deum in regrauis adest momenti non permittere, ut diligentissimo examini, quod præmittitur à viris in Ecclesiastica dignitate constitutis, & pietate admodum

modum insignibus aliqua fraus subsit. Et tandem minus recte sentire videtur de prouidentia, quæ Deus Ecclesiæ suæ præst, putans eam in materia Religionis, quæ proptermodum maxima est, destitutam prorsus esse omni Spiritus Sancti assistentia, qua errorem omnē præcauere queat.

## §. II.

*Secunda assertio autoritate, & ratione probatur.*

44. **D**icendum est secundo quāuis non repugnet, summum Pontificem in Sanctorum canonizzazione errare, adeoq; non gaudeat infallibilitate metaphysica: secundum tamen consuetam Diuine prouidentiæ dispositionem errare non potest, vndē gaudet infallibilitate physicè tali. In hac assertione conuenire videntur omnes asserentes non esse de Fide, sanctum à summo Pontifice canonizzatum verè esse sanctum, quamvis doceant omnino temerarium esse repugnare sentiæ à summo Pontifice prolatæ circa sanctitatem eius, qui sanctorum cathalogo scribitur, & rursus non euadere grauem hæresis suspicionem, negante in sancto canonizzato venerationem. Plures authores id docentes refert P. Ioa; à S. Tho: in 2. 2. disp: 9. art: 2. vbi docet non esse de Fide, sanctum à summo Pontifice canonizzatum verè esse sanctum. Inter illos etiam est N. Dominicus à Sanctissima Trinitate in sua Bibliotheca Theologica lib: 3. sec: 4. cap: 18. asserens non esse expressè pro hæretico habendum renuentem venerari Sanctum à summo Pontifice canonizzatum, quamvis censendus esset impius,

P. Ioa  
S. Thom.

N. Dom.

temerarius, scandalosus, ac gravissimis dignus censuris, quæ omnia, & nos asserimus. Docuit nostram assertionem S. Tho: Quodl: 9. art. 12. cuius ratione ad probandam conclusionem utemur.

'Probari autem primò potest ex ipsis Bullis canonizationum. Nam Sextus Quartus in Bulla canonizationis S. Bonauen: ait *Confidentes quod in hac canonizzazione non permittat nos Deus errare.* Sextus Quintus canonizzans S. Didacum ait Publico nostro & huins Sanctæ Sedis testimonio, que à Spiritu Sancto gubernatur, & regitur B. Didaci sanctitatem optimo iure declarasam esse. Et postmodum. Nos ipsi de Spiritu Sancti singulari patrocinio, atquè infallibili assistentia diximus. His prorsus similibus verbis vñi sunt sequentes summi Pontifices, cum inter Sanctos Beatum aliquem admiserunt.

45. Nequè dicas ex verbis sūmorum Pontificum, quæ in canonizationum bullis habentur nimiū probari, siquidem docere videntur esse Fide Diuina cedendum, relatum inter Sacerdos verè esse sanctum, quod præsertim habetur ex verbis Sixti quarti dicentis *Hunc sanctum (Diuum videlicet Bonauenturam.) esse fideliter firmiterque teneri decernimus.* Quod etiam non obscurè constat ex eo quod asserant, se processisse ad Sanctorum canonizationem ex infallibili Spiritus Sancti assistentia, propter hanc enim dogmata Fidei redundunt infallibilia, infallibilitate metaphysica.

Respondetur negando assumptū, & quoad primam illius probationem dicendum, ea verba regulanda esse per illa, quæ summus Pontifex præmisserat videlicet: *Confidentes quod in hac canonizzazione non permittat nos Deus errare;* hæc enim satis aperte indicant, Summum Pō-

tificem maximè quidem fidere Diuinæ prouidentiæ, qua Deus Ecclesiæ suæ peculiari modo assistit, non tam en esse metaphysicè infallibile, ipsum non posse errare. Quoad secundam dicendum, quod licet Spiritus Sancti assistentia in seipsa sit metaphysicè infallibilis, non tamen omnem hanc infallibilitatem inquamque materia adequate explicat, sed tantum in fidei dogmatibus, quæ est materia omnium gravissima, & respectu cuius expressè à Christo Domino promissa est Summis Pontificibus, ut habetur Lucæ 22, cum idem Christus alloquens Simonem Petrum ait. *Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirmas fratres tuos.* Eò vel maximè quia numquam summi Pontifices ut hereticos damnant, qui canonizationibus sanctorum ab eisdem promulgatis refragarentur, cum tamen in iis quæ spectant ad fidei dogmata communiter consueuerint anathematis fulmen adiungere.

46. Probatur nunc ratione S. Tho: Canonizzatio Sanctorum medium locum tenet inter ea, quæ directè pertinent ad Fidem, & ea, quæ spectant ad particularia facta, sed quoad prima summus Pontifex gaudet metaphysica infallibilitate, quoad posteriora potest errare, ergò quoad sanctorum canonizationem gaudet saltem physica infallibilitate, cui iuxta consuetam Diuinæ Prudentiæ Ecclesiam regentis dispositionem, error subesse nequeat. Maior probatur à S. Doctore his verbis *Honor, quem sanctis exhibemus, quædam professio Fidei est, qua sanctorum gloriam credimus.* Ad cuius intelligentiam propositionis secundum, quod credere in communi, in gratia decedentibus reddendam esse vitam æternam, utique directè spectat ad Fidem Theologalem, cù

sit unus ex articulis in Catechismo paruo contentis, iuxta ergò hunc sensum, indubium est, non loqui Sanctum Doctorem, putamus ergò mentē D. Thomæ sic exponendā, videlicet, supposiro quod per fidem habeamus, in gratia decedentibus conferendam æternæ beatitudinis gloriam, cum alicui Sancto honorem per duliam reddimus, testamur huic particulari personæ prædictam gloriam fuisse collatam, & huiusmodi protestatio nititur authoritati Summi Pontificis id decernentis, euidens est autem, hanc particularem personam in caelo cum Deo faciliter regnare non esse propriam Fidei Theologalis materiam, sicuti etsi ad eandem fidem pertineat, hostiæ ritè consecratam continere corpus Christi Domini, hanc tamen particularem hostiam idem corpus continere non est eiusdem fidei propria materia. Rursus idcirco actus illudulæ quo sanctis honorem reddimus, dicitur protestatio fidei, secundum quod, id quod alias est directè obiectum Fidei applicatur particulari persone, quæ inter sanctos relata est, quia cum dulia modo superius dicto spectet ad Religionem, huius proprium est esse eiusdem Fidei, imo & omnium virtutū Theologalium protestationem, ex eo quod illius proprium sit ultimū finem Deum videlicet, ut finem cui, attingere, sicut Theologalium virtutum est immediate, atque adeò ut proprium, & specificatum obiectum quod eundem Deum respiceret. Et hanc doctrinam accepimus ex S. Tho: 2. 2. quest. 103. art. 3. ad 1. dicente. *Religio est quædam protestatio Fidei, Spei, & Charitatis, quibus homo primordialiter ordinatur in Deum.* Indè habes canonizationem proponentem dulæ obiectum, honorandum propter autoritatem summi Pontificis, medium locum tenere,

tenere, quatenus non proponit directum fidei obiectum, sed indirectum, applicatum videlicet personæ particulari, & attractam per duliam, cuius proprium est hoc indirectum obiectum protestari, ut nunc diximus.

47. Minor quoad primam partem liquet ex adducta numero præcedenti autoritate Sancti Lucæ. Quoad secundam constat, quia facta particularia important possessionem, crimina, & his similia, quæ sunt humani prorsus ordinis, adeoque in ijs summus Pontifex errare potest, quod clarè admodum habetur ex quæst. 7. can. *Nos si incomptenter, ubi summus Pontifex Leo se subdidit Imperatoris iudicio cum ait. Quod si iniuste egimus cuncta volumus vestro emendare iudicio.* De quo agens S. Præceptor 2. 2. quæst. 67. art. 1. ad 2. hæc habet In rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subycere aliorum iudicio, quamvis non sint eius superiores. Sicut patet in his, qui compromittuntur in aliquos arbitros. Et inde est quod necesse est arbitrium pana vallari, quia arbitri, qui non sunt superiores non habent de se plenam potestatem coercendi. Sic ergo & Christus propria sponte humano se subdidit iudicio, Sicut etiam & Leo Papa se iudicio Imperatoris subdidit. Videatur quoad hoc commentarius Caietani, rem dilucidè, ac luculenter exponentis.

Consequentia videtur manifesta, cum medium de vtroque extremo participet, vndè minimum saltem fallibilitatis concedendum erit Sanctorū canonizzazionei, qualis est defectus metaphysicæ infallibilitatis, quæ solius obiecti directè spectantis ad fidem virtutem Theologalem est propria. Notandum tamen duximus iuxta dicta paragrapho præcedenti int̄ ea, quæ directè sunt Fidei, & ea, quæ pertinent ad fa-

cta particularia, mediare seruorum Dei beatificationem, quæ cum sit Sanctorum canonizzazione inferior, vtiquè magis recedet ab infallibilitate dogmatum Fidei, magisquè accedet ad fallibilitatem quam diximus competere factis particularibus: Ex quo fit, canonizationem Sanctorum ab hac ultima fallibilitate magis elongatam, dicendam infallibilitatem physicam, cui prindè iuxta consuetam dispositionem prouidentię Diuinę regentis Ecclesiam, nequeat subesse falsum, quod in nostra assertione intendimus.

48. Confirmatur: Piè credendum est, Sanctum à summo Pontifice canonizzatum verè esse sanctū, sed quod piè creditur, est iuxta ordinariam dispositionem Spiritus Sancti gubernantis Ecclesiam infallibile, ergò summus Pontifex insanctorum canonizzazione gaudet infallibilitate, cui naturaliter nequit subesse falsum. Maior habetur expressè ex Sancto Tho:quodlibeto citato, postulat tamen, vt breuiter exponamus, quid sit piè credere. Sciendum ergò ex Angelico 2. 2. quæst. 101. art. 1. quod Pietas est virtus quædam, per quam parentes, & patriam colimus, & quia Deus excellentissimè est pater omnium nostrum, idcirco, vt ait idem art. 3. ad 2. per excellentiam cultus Dei pietas nominatur. Nota rursus ex eodem 2. 2. quæst. 45. art. 1. ad 3. quod Pietas, qua pertinet ad cultum Dei est manifestatio fidei, in quantum per culum Dei protestamur fidem. Ex quibus habetur piam fidē inniti paternæ illi prouidentiæ, qua Deus Ecclesiam suam gubernat; & quia ex naturali eo amore, quo pater filium diligit ortum ducit, vt numquam sit defectus in prouidentia, qua filium gubernat, fit indè canonizationem sanctorum, maximè spectantem ad rectam gubernationem

nationem Ecclesiae Deum colentis in sanctis suis, spectare ad paternam Dei prouidentiam, & consequenter pium esse credere in illa nullā contigisse falsitatem, ne hæc refundatur in defectum huius paternæ prouidentiæ, quem illi tribuere impium est, piè igitur credendum, Sanctum à summo Pontifice canonizzatum verè esse sanctum.

Minor ex nunc dictis suadetur: nam si naturaliter loquendo in rebus saltem magni momenti paterna prouidentia non deest filio, ita nec in graui admodum materia canonizationis sanctorum Spiritus Sanctus filiæ suæ Ecclesie deerit, adeoquè iuxta cursum ordinarium eiusdem prouidentiæ eadem canonizzatio verum infallibiliter attinet. Consequentia ex præmissis manifestè deducitur. Ex quo etiam habetur, quod supra in assertione dicebamus, quomodo iinpietatis, & scandali plenum sit reluctari definitiæ sententiæ summi Pontificis statuentis aliquem esse sanctum; quin imò graui suspicione erroris laborare, cum indirecte saltem id opponatur assistentiæ Spiritus Sancti, quam Christus Dominus sæpè numero Petro eiusque successoribus pollicitus est, ut ex Euangelijs habetur: hæc enim promissio intelligenda est primariò quidem quantū ad dogmata Fidei, secundariò tamen etiam quoad ea, quæ ad ipsam reducuntur, sicuti est sanctorum canonizzatio, quæ spectat ad materiam Religionis, quæ fidem modo exposito protestatur, & demum ad paternam prouidentiam Dei Ecclesiæ gubernantis pertinet.

## §. III.

*Referuntur, & soluuntur argu-  
menta primæ contraria  
assertioni.*

49. **A** Diversus primam nostram assertionem primò <sup>S.Thom.  
P. Ioa. 4</sup> adduci potest P. Ioa: à S. Tho: disp:9. citata art. 2. vbi etsi primò afferat summum Pontificem in beatificatione seruorum Dei practicè non posse errare, ait tamen, quod speculatiuè non habet nisi moralem certitudinem, & maximam probabilitatem, vndè nullam infallibilitatem tribuit iudicio illi speculatio, quo dirigitur permisso publici cultus Beatificato exhibendi. Hinc nulla putat censura dignum speculatiuè existimantem, Beatificatum à summo Pontifice verè non esse tamem; Hoc tamen afferit verum esse ex vi beatificationis præcisè súptæ, quia ex alio capite, vt si accedat assensus totius Ecclesiæ, aut maioris partis fidelium, multitudo miraculorum facta in confirmationem Sanctitatis eius, & hoc longo tempore sit continuatū, ex hac parte fiet longè certius, & qui negaret sanctitatem talis personæ esset censura temeritatis dignus. Loquendo igitur de beatificatione cum præcisione sumpta, ita argumentatur. Ut Ecclesia publicè celebret festum de aliquo tanquam de sancto sufficit probabilitas, & moralis certitudo de eius sanctitate, ergò vt Ecclesia habeat iudicium practicum certum de celebratione alicuius sancti non requiritur, quod habeat etiam iudicium speculatiuum certum de sanctitate, sed sufficit moralis certitudo aut opinio. Antecedens probat exemplo celebrationis festi Concepcionis B. Virginis, quod Ecclesia celebrat,

celebrat, & tamen præcipit nulla, notandum censura afferentem, illā in originali fuisse conceptam. Tum rursus, quia eadem Ecclesia in materia religionis sæpè vtitur opinione probabili, vt patet in dispētatione voti solemnis, & matrimonij rati, non consummati, ad hanc autem religionis materiam pertinet etiam sanctorum veneratio, vt iam diximus. Consequentia ex paritate rationis videtur manifesta.

Respondetur distinguendo antecedens, vt celebret vtcumque conceditur, vt celebret ex præsupposita approbatione sanctitatis eius, cuius festum celebrat, negatur. Deinde negatur consequentia. Itaque celebratio festi se habet vt proprietas, seu quasi proprietas præsuppositæ sanctitatis eius, cui per celebracionem festi cultus publicus exhibetur id tamen dupliciter fieri contingit. Primò ita vt præmittatur diligens admodum examen circa sanctitatē & miracula personæ, & hoc ex commissione Sedis Apostolicæ, & non à quibuscumque personis, sed à viris in Ecclesiastica dignitate constitutis, ad id muneric peculiariter à summo Pontifice delectis, à quibus hoc ipso quod probata fuerit sanctitas Beatificandi, idem summus Pontifex laudat, approbatque eorum decretum, ac permittit postmodum positiuo permissionis actu cultum Beatificati. Secundo modo ea celebratio fieri potest ita vt, ex populoru[m] pietate, ac deuotione, incipiat festum celebrari permitten te, aut etiam approbante Episcopo & non reluctante summo Pontifice, sed tantummodò, vt sic dicamus tacente, eo ferè modò, quo ex populu[r]um deuotione aliqui vt sancti coli cæperunt, qui etiam nunc ex cultu immemorabili titulo beatorum, vel sanctorum gaudent, respectu quorum summus Pontifex merè ne-

gatiuè se habet non improbando videlicet.

50. Nunc ergò dicimus, quod si festum primo modo celebretur, nō nititur dumtaxat probabili opinioni, ac morali tantum certitudini, sed morali infallibilitati ita v[er]ea positiva permisso reguletur iudicio speculatio moraliter infallibili, propter peculiarem Spiritus Sancti assentiam, qua gaudet summus Pontifex, qui omnibus ijs præmissis positiuè permittit aliquem, coli publicè vt beatorum gloriam perfruentem. Secus si celebretur secundo modo, in quo cum nec precedat Cardinalium sententia nixa, prædicto examini de sanctitate personæ, summus Pontifex merè negatiuè se habet præcisè tacendo, & non improbando. Et propterea credimus, beatos ex cultu immemorabili, ad quem Pontifex nullam nec permisuum præstitit modo iam dicto influxum, coli propter moralem solum certitudinem, & probabilem admodum opinionem de eorum sanctitate, non autem quia aliquo modo sit infallibile eos esse beatos. Hinc constat ad id, quod affertur ex festo Conceptionis; illud enim celebrari cepit ex particularium Ecclesiarum pietate tacentibus summis Pontificibus, nec umquam ex commissione Sedis Apostolicæ præmissum est examen circa sanctitatem Conceptionis B. Virginis, sed hoc relicum est Theologorum disputationi. Hoc diximus de initio huius festi, modo enim erit id omnino magis certum cum, vniuersalis Ecclesia illud festum celebret.

Ad aliam probationem dicitur in spectantibus ad materiam religionis dari non modicam latitudinem, nec probabilis opinio, quæ pro adductis dispensationibus licet concedendis sufficit, sufficiens censi debet pro celebratione festi alicuius

alicuius beati facta saltem modò iam dicto , siquidem hæc grauior est , & ex errore in illa contingente grauiora sequentur inconuenientia . Vnde non est simile .

51. Secundò arguit . Ex S. Tho: 3 . p. quæst. 27. art. 2. ad 3 . Quod ex eo quod Ecclesia Romana suo tempore tolerabat celebrationem festi Conceptionis dicit eam consuetudinem non esse totaliter improbandam , nec aliquid amplius ex ea tolerantia infert , sed Beatificatio est concessio celebrationis de aliquo sancto cum tolerantia Sedis Apostolicæ , ut cōstat ex definitione Cardinalis Tuschi , ergò ex vi præcisè beatificationis non infertur nisi quod talis consuetudo non sit reprobanda , non verò quod sit omnino certum , quod talis persona beatificata sit in gloria , taliter quod oppositum sit censurabile .

Confirmatur . Veneratio , quæ exhibetur Beatificatis , aliquando fuit permissa fieri ab Episcopis in Ecclesia , sed beatificatio hoc modo facta non gaudet nisi morali certitudine , ergò de se talis beatificatio non exigit maiorem certitudinem , quam moralem . Maior constat . Minor probatur , quia particulares Episcopi nedium non possunt aliquid de Fide definire , imò nec certum reddere , quod Beatificatus sit in gloria . Consequentia ex præmissis conitat , cum illa fuerit vera beatificatio . Adde , permissionem celebrandi festum de aliquo stare posse cum certitudine , quod ille non sit in gloria , dummodo constet esse . Sanctum , sicut permittit Ecclesia , celebrari festum de Sancto Elia in Ordine Carmelitarum , quem tamen cōstat adhuc beatitudinis gloria nō perfri . Aliud est ergò (concludit cītatus author) celebrationē de aliquo permettere , aliud iudicare , & habere pro infallibili , quod sit in gloria .

Respondetur concedendo maio-

rem si fuerit sermo de pura , & nuda tolerantia celebrationis eius festi , hæc enim non importat posituum aliquem actum , sed solum non reprobationē celebrationis eius festi , vnde iuxta hunc sensum neganda est minor quoad beatificationem de qua nunc loquimur , nam hæc claudit posituam permissionem summi Pontificis , & rursus præsupponit definituum Cardinalium iudicium habens fundamentum in rigidissimo examine morum , & miraculorum ipsius Beatificandi , quæ omnia in plus omnino esse , quam sit nuda tolerantia nemo non videt . Adde , non improbabiliter dici posse summum Pontificem vt doctorem particularem principatum tenens inter Cardinales concurrere non merè permissuè , sed etiam complēdo per suam sententiam iudicium definituum Congregationis Cardinalium , vnde mirum non est beatificationi concedi à nobis moralem infallibilitatem etiam quantum ad iudicium speculativum versans circa sanctitatem personæ inter beatos , modo dicto , scribendæ , quæ infallibilitas non tribuitur nudæ tolerantia : de qua si intelligatur definitio Cardinalis Tuschi , dicendum , eam comprehendere omnem prorsus beatificationem , & consequenter etiam eorum , quos populi alicuius pietas , aut particularis dumtaxat alicuius Episcopi sententia inter beatos commumeravit , quorum cultum merè tolerat summus Pontifex illum videlicet in nullatenus nec approbando , nec reprobando .

Per quod patet ad confirmationē ; nam beatificatio ab Episcopo particulari facta est diuersæ rationis , neque ad illam requisita fuit expressa permisso summi Pontificis id permittentis pro vniuersali Ecclesia , nec rigidū adeò accuratumè examen nec demum sententia Summi Pontificis , vt principis particulariū doctorum

# DISPVATATIO VIII. DVBIUM IV.

361

doctorum. Indè enim fit, quod licet Spiritus Sanctus possit independenter ab omnibus istis manifestare veritatem, nihilominus secundum consuetam suæ prouidentiæ dispositionem humano modo agendi se attemperat, adeoquè supposita ea exactissima diligentia adhibita in veritatis inquisitione; piè credi potest, non defuturam eam moralem infallibilitatem, quam beatificationi modo descripto factæ, tribuimus. Ad id, quod additur, addimus & nos, ne dum cum ea certitudine de gloria non possessa stare permissione cultus beatificatorum proprij, verum etiam stare posse veram, & propriam canonizationem, vt supra declarantes definitiones canonizationis diximus, & tamen canonizationi non renuit P. Ioa: à S. Tho: infallibilitatem concedere. Et ratio huius est, quia essentia sanctitatis rigorose, sumptæ non habetur à possessione beatitudinis, sed ab heroicis gratia, virtutibus, ac miraculis, quæ licet absq; beatitudine æterna non habeant ultimam summationem, non desinunt tamen habere essentialia requisita ad canonizationem propriè dictam, & consequenter ad infallibilitatem siue beatificationis, siue canonizationis propriam. Et hoc ipsum confirmat exemplum S. P. N. Eliæ, quem vt omnino sanctum, ex summorum Pontificum indultu vniuersus Carmeli cætus veneratur.

52. Quamuis, vt verum fateamur, non sit ita certum, vt hic author supponit, Sanctissimū Patriarcham Eliam beatitudinis gloria, saltem quoad animam, carere: ipsum enim perfaci beata visione docuit

*N. Gab.* N. Gabriel à S. Vincentio trac: de Gratia disp: 19. quest. 5. num. 54. referens pro eadem sententia Lezanam consul: 3. num. 99 Salmeronē tomo 11. trac: 32. in Ioan: D. An-

*De Sanct. Beatif. & Canoniz.*

D. Anto: Barr.

toninum, Sebastianum Barradam & alios. Ex quibus concludimus, aliud omnino esse purè tolerari à Romano Pontifice aliquem, coli vt beatū; aliud positiuè ab eo permitti, immo ab ipso vt principe particulariū doctorum iudicari, aliquem coli posse vt beatum in Ecclesia vniuersali; huic proindè beatificationi morale infallibilitatem, non verò audam opinionis probabilitatem concedendam esse credimus.

Adde; quod iuxta receptum satis axioma, quod sepè repetit Angelicus Præceptor, Supremum infimum attingit infimum supremi, in genere autem prudentialis certitudinis supremum locum tenere seruorum Dei beatificationem manifestum, appetat ex omnibus ijs requisitis, quæ ad beatificationem vt nunc sit, exiguntur, adeoquè oportet, vt attingat infimum supremi, hoc est infallibilitatem canonizationis sanctorum infimo modo participet, & consequenter quod habeat moralem saltem infallibilitatem, quæ utique infima est. Eò vel maximè quia concessa solum beatificationi pro vniuersali Ecclesia probabili certitudine qualis cōpetit opinionibus, non leue indè sequeretur inconueniens, cum de facili posset quis sibi persuadere, contigisse aliquam deceptionem in eo beatificationis processu, adeoquè cultum Beatificato denegare, quod in summi Pontificis, & Ecclesiæ dedecus vergeret; præcluditur autem aditus huic inconuenienti ad struendo moralem, quam nos posuimus infallibilitatem.

53. Nunc ex alia parte nostræ primæ assertioni opponitur sententia afferentium beatificationi seruorum Dei competere eandem infallibilitatem, quæ competit sanctorū canonizationi, quamvis minus perfecta sit, intra eundem tamen infallibilitatis gradum; sic docent, vt

Z z. inquit

## 362 DESANCT. BEATIF. ET CANONIZ.

Torr.  
D. pers  
S. Thom.  
S. Thom.

inquit Torres 2. 2. disp; 17. dub.  
6. aliqui viri docti, & videtur hæc  
opinio tenenda ab omnibus asseren-  
tibus, beatificationem à canonizza-  
tione non distingui specie. Pro ea,  
autem primò argui potest ex autho-  
ritate D. Bernardi epist. 175. ita,  
scribentis: *Fuit procul dubio & ma-  
ter Domini ante sancta, quam nata.*  
*Nec nullus omnino Sancta Ecclesia,*  
*sancuum reputans ipsum eius Natiuitatis diem,*  
*& omni anno cum exulta-*  
*tione uniuersæ terre votiva celebri-*  
*tate suscipiens.* Ex his enim verbis  
perspicue habetur, Ecclesiam, eius-  
què caput summum Pontificem falli  
omnino non posse circa sanctitatem  
eius, cuius festium celebrant diem,  
aut ipsum celebrari permittunt, vñ-  
dè idem mellitus Doctor acriter  
etiam ibidem arguit Gallicanam  
Ecclesiam, eo quod cœperit festum  
Conceptionis celebrare, antequam  
definitione constaret, B. Virginem  
suisse absque originali conceptam,  
quasi putaret ex celebratione festi  
alicuius sancti omnino infallibiliter  
sequi ipsum esse sanctum; *Quod*  
etiam docuit S. Tho: 3. p. quæst.  
27. art. 1. in argum: *Sed contra-*  
*agens de festo Natiuitatis eiusdem*  
*Virginis.* Cum ergò de Beatificato  
pro vñiuersali Ecclesia celebrari  
possit fœtum, tenendum ut omnino  
infallibile, ipsum esse beatum.  
Respondetur, iuxta nostram sen-  
tentiam facile adductas authorita-  
tes exponi posse de morali infallibi-  
litate, & quamvis D. Bernardus  
addiderit eam particulam omnino,  
non videtur multum virgere, quia  
Ecclesie eiusque summo Pontifici  
non est in omnibus, ad cultum Re-  
ligionis spectantibus, eadem prorsus  
concedenda æqualis infallibilitas,  
sed pro qualitate materie, ac mo-  
di; quo circa ea se gerit, & quia in  
beatificatione summus Pontifex nō  
se gerit ut caput Ecclesie, nec pro-  
fert definitiū sententiam circa,

sanctitatem Beatificādi, idcirco mo-  
ralis infallibilitas, quam beatifica-  
tioni tribuimus, sufficiet.

54. Secundò arguitur. Impos-  
sibile est, summum Pontificem in  
materia Religionis permettere in-  
vñiuersali Ecclesia intollerabilem  
errorem, sed si posset aliquo modo  
errare in beatificatione, posset intol-  
lerabilem errorē in eadem Eccle-  
sia in materia religionis permettere,  
ergo omnino erit impossibile, in  
beatificatione seruorum Dei sum-  
mum Pontificem errare. Maior sua-  
detur, tum quia malè sentiremus de  
paterna ea prouidentia, qua Deus  
Ecclesiam suam regit, si in grauissi-  
ma Religionis materia erroris defec-  
tus permetteretur. Tū rursus, quia  
Sūmus Pontifex, vt iam supra ostendim-  
us, cōstituitur à Deo in ijs, quæ  
sunt ad ipsum, hoc est, quæ ad ma-  
teriam Religionis; & cultus Diuini  
spectant, vndè iuxta cosuetum mo-  
dum operandi Diuinæ prouidentiæ,  
quæ ministros à se electos, nō sup-  
ponit, sed facit idoneos, afferendū  
tribuere illi hoc quod est, non pos-  
se in eo ministerio deficere, vt enim  
optimè expendit S. Tho: lec; 2. in  
cap: 3. 2. Epist: ad Chorin: *Deus*  
*cūlibet dat ea, per quæ possit consequi*  
*perfectionem sua natura.* Vnde quia  
Deus constituit ministros noui refor-  
menii, dedit & eis idoneitatem ad hoc  
officium exercendum. nequit ergò in  
materia beatificationis aliquod er-  
roris periculum contingere. Min:  
& Cons: constant.

Respondetur distinguendo mai-  
orem, moraliter loquendo concedi-  
tur, omnino & absolute negatur, &  
deinde iuxta eundem sensum distin-  
guitur minor, & negatur conseque-  
tia. Ad primam verò maioris pro-  
bationem dicitur, quod si Pontifex  
in beatificatione seruorum Dei se  
gereret ut caput Ecclesie, & per de-  
finitiū sententiam, vtique iuxta  
ordinariam prouidentiam Dei re-  
gentis

gentis Ecclesiam suam gauderet in infallibilitate physica, quia verò hoc modo non se gerit, sat est, si moraliter loquendo sit impossibile, contingere in Ecclesia vniuersali, conlente Beatificatum, errorem aliquem. Ex quo ad secundam eiusdem majoris probationem dicitur, summū Pontificem in beatificatione seruorum Dei non exercere perfectè munus decernendi ea, quæ spectant ad cultum sanctorum, & consequenter ad cultum Dei, qui in sanctis suis honoratur, vnde mirum non est, si in illa non gaudeat perfecta infallibilitate, qualem habet in sanctorum canonizzazione, ad munus ergò suum idoneę exequendum satis erit moralis infallibilitas. Per quod patet ad authoritatem ex D. Tho: adductam, quæ veritatem habet iuxta ea, quæ nunc diximus.

## §. I V.

*Respondeatur argumentis secundæ assertioni oppositis.*

55. **S**ecundæ assertioni primò opponitur error heterodoxorum, qui sicut à Sanctorum cultu, &què ac à vītē sanctimonia abhorrent, ita eorundem canonizzazione, aut damnant, aut vt omnino errori obnoxiam spernunt. Inter eos est Vuiclef, qui, vt refert N. Vualdeensis tomo 3. de Sacramental: cap: 122 afferuit, sic Pontifice errare posse in Sanctorum canonizzazione, vti potest quilibet particulris homo, quæ calumnia retorqueatur in Christum Dominum, cuius in terris Vicesgerentem &qualem cuicunque homini de media plebe, in grauissima religionis materia cōstituit. Præter hunc errorem est Catholicorum opinio, quæ eti afferat

*De Sanct. Beatif. & Canoniz.*

potestatem canonizzandi Sanctos summo tantum Pontifici concedendam, ait tamen in ea absolutè loquendo posse errare, citantur pro hoc dicendi modo Caietan: tomo *Caiet.* 1. Opusculor: trac: 15. de Indulgentijs cap: 8. §. vltimo, vbi tamen id obiter satis tangit, imò adducit S. Tho: non designando tamē peculiarem locum, sed de mente S. Tho: iam constat, & aliquid etiam *Felin:* mox dicetur. Felinus in cap: Venerab: de testibus, quem adducit Couarriias infra referendus. *Glossa* in cap: Vnico de reliquijs, & veneratione Sanctorum in 6. Probari id primo solet ex capite *A nobis.* Sed cum ibi sit sermo de iudicio Ecclesiæ quantum ad facta particularia, qualia sunt lites, processus, appellations, excommunications, & his similia, in quibus, non negamus, posse errorem contingere, nihil inde aduersus nostram assertiōnem sequitur.

56. Secundò arguitur in hunc modum. Ex doctrina S. Tho: habetur, quod, vt aliquis in sanctorum cathalogo scribatur, satis est probabile esse ipsum esse sanctum, atqui quod est probabile, vtiquè est erroris periculo obnoxium, ergò summus Pontifex in sanctorum canonizzazione absolutè potest errare. Maior, quæ sola indiget probatione, expresse habetur ex S. Tho: 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 2. vbi loquens de Iepte, de quo est sermo Iudicum 11. ait quod Ponitur in cathalogo Sanctorum, & propter victoriā quam obtinuit, & quia probabile est, eum pœnituisse de facto ini. quo, quod tamen aliquid bonum figurabat. Idemque dixerat in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiun. 2: ad 3. ac demum lec: 7. in cap: 11. Epis: ad Hebr: vbi loquens de Gedone, Baruch, Sansone, Iepte, Dauid, Samuele, quos Apostolus

in sanctorum cathalogo enumerat, subdit: *Probabile est quod omnes fuerint finaliter Sancti, ex quo Apostolus nominat eos in cathalogo Sanctorum.* Nunc sic, ut patet ex prioribus verbis, Iepte scribitur inter sanctos, quia probabile est, ipsum pænituisse de facto, sufficit ergo probabilis opinio de alicuius sanctitate ad hoc ut in sanctorum albo scribatur. Deinde vrgentius id habetur ex secundò testimonio, si enim ex hoc, quod Apostolus omnes adductos in sanctorum cathalogo scriperit, deducit S. Doctor probabile esse illos esse sanctos, à fortiori ex hoc quod summus Pontifex aliquem inter sanctos conscribat, non sequitur esse infallibile illum esse sanctum: nam canonizzatio ab Apostolo facta anteponenda est illi, quæ fit à summo Pontifice. Aliud etiam ingerit difficultatem consequentia illa S. Tho: quæ enim ex Apostolo habentur sunt de Fide, vnde non apparet quomodo verum sit, quod dicit Angelicus Doctor: probabile est illos viros fuisse sanctos ex eo quod Apostolus inter Sanctos eos enumeret: nam ex eo quod Euangeliū à Luca conscriptum referat, vnum ex latronibus fuisse à Christo in cruce pendente canonizzatum ijs verbis *Hodie mecum eris in Paradiſo*, non est tantum probabile, sed prorsus de Fide ipsum esse sanctum.

Hoc argumentum nemo, quem viderimus, tetigit, & sane primo aspectu videtur non leuem præferre difficultatem, ad cuius enodationem breuiter præmittendum, quod ad hoc ut aliquis sanctus possit appellari, sufficit quod aliquod opus valde arduum, ac heroica sanctitate, & virtute plenum gesserit, siquidem opus eiusque sanctitas in personam illud exercentem retorquetur. Secundò potest aliquis in sanctorum cathalogo notari, eo

quia in sanctis operibus, heroicisque virtutibus usque ad vitæ finem perseverarit, & iuxta hunc posteriorē sensum aliquis simpliciter sanctus dicitur, & nos hoc modo de sanctis in præsentiarum potissimum loquimur. His præsuppositis.

57. Ad primum testimonium dicitur, quod si loquamur de Iepte ut primo modo Sancto nempe propter victoriam, ac heroicam fortitudinem in illa referenda exercitam non est probabile, sed omnino infallibile ipsum fuisse sanctum, ut melius constabit ex dicendis ad secundum. Si vero loquamur de Iepte ut Sancto secundo modo, est tantum probabile, ipsum esse Sanctum, sicut probabile est pænitentiam egisse cum, an verè pænituerit, non habetur ex scriptura, colligitur tamen probabiliter ex egregio sanctoque facinore relatæ victoriæ. Et propterea Iepte fuisse secundo modo, hoc est finaliter sanctum, nullo modo ex scriptura habetur, ut etiam ex mox dicendis notum fiet.

Ad secundum dicitur, quod cum Apostolus inter sanctos viros refert Iepte, id præstat ex eo quod propter victoriā relatam heroicamque fortitudinem exercuerit sanctam aliquam operationem, imo & propter votum, quod emisit, secundum quod processit ex instinctu Spiritus Sancti, & hoc modo est de fide ipsu fuisse sanctum; quapropter cum dicit S. Tho: probabile esse, ipsum, fuisse Sanctum ex eo quod Apostolus eum numeret inter sanctos loquitur de sanctitate finali, & probabile tantum id est; quod sic explicatur: posito quod Iepte semel fuerit sanctus ratione prædictarum operationum, vti docuit Apostolus, probabile admodum est post votum, vt imprudenter emissum de sacrificando eo, quod primò sibi occurseret, illudque iniquè adimpletum, non fuisse à Deo

Deo derelictum, sed concessum gratiæ auxilium, ex cuius adiutorio postmodum pœnituerit, vnde non fuit finaliter sanctus ex dicto Apostoli, sed solum ex probabili iam facto. Et sanè quod Apostolus canonizaverit Iepte. Sanctum ex heroicis eius operibus, adeoque iuxta primum modum, habetur ex S. Tho: qui loco cit: in Epis: ad Heb: ait *Sciendum quod aliqui istorum aliqua mala fecerunt, & aliqua bona, vnde non numerantur hic nisi quantum ad bona, quæ fecerunt, & recuperunt.* Nominatur ergò ab Apostolo Iepte inter sanctos, non quia fuerit finaliter sanctus, sed propter egregia opera, quæ fecit, quibus peractis aliqua mala gessit, & dubitationi obnoxium reliquit, an fuerit finaliter sanctus, vel non. Ex quibus liquidò constat ad id, quod additur, nā ab Apostolo non canonizzatur Iepte ut finaliter sanctus, vti latro à Christo inter beatos relatus fuit, & consequenter asserere potuit S. Thomas probabile esse, ipsum fuisse finaliter sanctum, licet talem fuisse deducatur probabiliter ex eo, quod aliquando iuxta Apostoli sententiam fuerit sanctus, indè enim arguitur, pium esse credere, non fuisse à Divina misericordia post perpetrata mala derelictum.

Circa hoc etiam notandum occurrit, non esse contradictionem in eo, quod dixerimus, votum à Iepte emisum fuisse ex instinctu Spiritus Sancti, & rursus fuisse imprudenter nuncupatum, nam quomodo hæc duo cohærent explicat S. Tho: lec: 7. citata his verbis. *Dicendum, quod fuit ibi aliquid de Spiritu Sancto, scilicet motus ad vœendum in generali, quod scilicet immolare quicquid occurreret sibi immobile, aliquid autem ex proprio suo spiritu, scilicet quod immolauit, quod non debuit, & in hoc peccauit, sed post penituit.* Et hoc ipsū

dixerat in 4. dist: 38. quæst. 1. art. 1. quæstiunc: citata.

58. Tertiò arguitur. Summus Pontifex in sanctorum canonizzazione nititur humano testimonio, sed hoc simpliciter est fallibile, ergò summus Pontifex in sanctorum canonizzazione simpliciter falli potest. Maior constat; nam inquisitio de vita & miraculis canonizzandi fit per testes humanos. Minor & consequentia constant. Respondet S. Doctor quodlibeto citato ad 2. Diuinam prouidentiam præseruare Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominū decipiatur. Licet ergò humana ea attestatio secundum se sit fallibilitati obnoxia, mortalium enim cogitationes timidæ sunt, & incertæ prouidentiae nostræ, prout tamen substati assistentia peculiari Spiritus Sancti, Ecclesiam suam in re magni momenti regentis, redditur modo dicto infallibilis.

Sed contra: vel infallibilitas qua gaudet summus Pontifex in sanctorum canonizzazione innititur aliquo modo humanæ attestationi, vel tota ratio huius infallibilitatis habetur ex Spiritu Sancti peculiari assistentia? Si primum dicetur, nulla ex ea habebitur infallibilitas, siquidem simpliciter fallibile nequit esse fundamentum alicuius infallibilitatis. Si verò secundum asseratur, omnino sperfluum videtur examen, quod canonizationi præmittitur, nec se habebit ut dispositio præquisita ad predictam infallibilitatem, nam cum sit inferioris prorsus ordinis, nequibit ad rem ordinis superioris disponere, sicuti naturalis ordinis opera, et si virtuosa, nequeūt ad gratiam supernaturalem disponere, imò neque se habent per modum necessariæ conditionis ad illam præ requisitæ ut docet N. Salmant: trac: de Prædest: disp: 10. num. 27.

N. Salm.

Respon-

Respondetur, totum illud coniunctum ex humano testimonio, & Sancti Spiritus assistentia esse eius infallibilitatis fundamentum: nec verum est, prædictam attestationem esse merè humanam, hoc ipso enim quod processus efformetur ex Apostolica autoritate Sæctæ Sedis, utique regitur ex peculiari Sancti Spiritus imperio ac directione, atque adeò humanum modum agendi supergreditur, vnde & supernaturalis euadit attestatio ratione prædictæ directionis. Et hoc voluit S. Doctor, cum dixit, Deum regere Ecclesiam suam, nè in ipsis decipiatur. Per quod patet ad paritatem adductam.

Et notandum, quod licet eiusmodi infallibilitas haberri posset independenter à prævio illo, seueroque admodum examine, quia tamè Spiritus Sanctus in regenda Ecclesia se attemperat modo agendi humanae prudentiae, humanique iudicij, sit quod sicut prudentis est diligentem in rebus admodum grauibus impendere curam, ne defectus aliquis contingat: & rursus sicuti ad iudicis munus spectat testium præmittere examen, ne inconsideratam profert sententiam. Non dissimiliter & sumimus Pontifex etiam prout operans ex peculiari assistentia Spiritus Sancti. Quod, & docuit Christus Dominus cum Matth: 10. dixit

S. Matth: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbe.*

59. Ultima demum sententia eidem secundæ assertioni aduersa asserit esse de Fide, relatos à summo Pontifice inter Santos verè esse tales. Ita docent Valentia in 2. 2. quæst. 1. disp: 1. punto 7. §. 41. & non pauci Recentiores, ut ait Torres 2. 2. disp: 16. dub. 3. qui etiam hunc dicendi modum censet esse probabilem. Arguitur pro illo ex Valen: in hunc modum. Ex scri-

pturæ pmissionibus habetur, numqua m futurum, ut vniuersa Ecclesia in materia Religionis fallatur, sed falleretur in hac materia, posito quod veneraretur Sanctum canonizzatum, qui re ipsa talis non esset, ergo summus Pontifex in canonizatione sanctorum ea gaudet infallibilitate, qua in fidei dogmatibus decernendis pollet. Ad maiorem suadendam nullam citatus author adducit Scripturam, possent autem afferri verba, quæ habentur Ioa: 16. S. Ioa: quæ talia sunt. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hunc locum exponens Angelicus Preceptor 1. 2. quæst. 106. art. 4. ad 2. hæc ait. *Docuit Spiritus Sanctus Apostolos omnem veritatem de his, quæ pertinent ad necessitatem salutis, scilicet de credendis, & de agendis:* S. Thom. Videtur autem nomine agendorum potissimè intelligi ea, quæ spectant ad cultum Diuinum, adeoque quoad ista dabitur infallibilis Spiritus Sancti assistentia, sicut quantum ad credibilia, quæ ad salutem sunt necessaria. Minor suadetur nam Sanctorum cultus ad Religionem spectat, cum in illis etiam Deum veneremur. Consequentia liquet.

Confirmatur ex eodem. Si ob aliquam rationem non esset ex Fide credendum, sanctum à summo Pontifice canonizzatum verè esse sanctum, id maximè esset, quia summus Pontifex non habet potestatem condendi nouum aliquem Fidei articulum, sed hoc non videtur obstat, ergo erit de Fide credendum sanctum à summo Pontifice canonizzatum verè esse talem. Maior continet rationem, qua aliqui vtuntur ad suadendam nostram sententiam negantem summo Pontifici maximam prorsus infallibilitatem, qualis competit Fidei dogmatibus.

Minor

Minor probatur , quia cum Theologi satis communiter asserunt , negandam esse summo Pontifici eam potestatem , id intelligunt de veritate dogmatum , quæ controverti possunt circa nostræ Religionis capita , vt circa Deum , sacramenta , & his similia . Nihil autem obstat , quo minus de particularibus , & contingentibus materijs , qualis est ea , de qua nunc loquimur , concedatur talis potestas : siquidem communiter solet asseri , eum , qui debita cum intentione infantem baptizzat , credere ex Fide deberet ( propter reuelationē Scripturæ ca de re vniuersalē) talem infantē verè esse in gratia , Quod ipsū tamen ab Apostolis certè nō fuit ita determinatē creditū de tali infante. Sic ille.

*Ex. Papa*

Confirmatur demum ex Bulla canonizationis S. Tho: de Aquino in qua Ioan: vigesimus secundus hæc ait post enumerata eius miracula . Hæc sunt testimonia tua Deus , que de hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis . Nam si testimonium hominum accipimus , testimonium Dei maius est , quo enimam eius celum possidere iam credimus . Constat autem ea , quæ Diuino cōprobantur testimonio , esse Fidei Theologalis materiam . Et hinc forte in Concilio Constantensi damnata fuit 44 . propositio Vuiclefī dicentis , Santos Augustinum , Bernardum , & Benedictum nedum non esse Santos , sed damnos .

60. Respondetur ad argumentum , quod , cum in majori est sermo de pertinentibus ad Religionē , potest esse & q̄ iuocatio: siquidē nomine Religionis aliquādo intelligitur peculiaris Religionis virtus: aliquādo verè ipsa Catholica Religio . Et quidem , si primo modo sumatur , claudit ea , quæ non sunt Fidei materia , vt auditio sacri in die festo est actus virtutis Religionis , non ,

tamen materia Fidei , quamvis suo modo omnis actus Religionis sit fidei protestatio , vt dictum est supra num. 45 . Si verò secundò modo sumatur comprehendit ea , quæ spectant ad Fidem nempè adorationem Dei unius & Trini , mysterium Incarnationis , & his similia , quorum fides necessaria est ad æternam salutem consequendā . Itaque promissiones , quæ habentur in Sacra Scriptura procedunt de his posterioribus , ad quæ , vt dixit S. Tho: sanctorum canonizzatio non spectat , cum medium locum teneat inter prædicta , & facta particularia . Ad probationē dicitur , quod S. Tho: nomine credendorum intelligit ea , quæ spectant ad catholicam religionem , & primariam Fidei materiam qualia sunt mysteria iam dicta : Nomine verò agendorum intelligit etiam ea , quæ pertinent ad directam eiusdem Fidei protestationē , qualia sunt adoratio eorum , qui vere sunt Sancti , veneratio sanctorum reliquiarum , quæ verè tales fuerint , & alia huius generis , quæ etsi directè sint fidei materia , non tamen primaria , sed secundaria : fides enim Theologalis respicit semper aliquod Diuinum , prout est in se . Quoad hæc omnia igitur promissa est à Scripturis Ecclesiæ Catholice talis assistentia , vt nullatus fallibilitati sit obnoxia . At circa sanctorum canonizationē quæ in inferiori ordine constituitur sufficit physica infallibilitas , cui iuxta cursum ordinarium nullus error subesse potest .

Ad confirmationem respondetur , quicquid sit de illius veritate rationis , ex illa tamen non conuinci intentum , nam sic puerum baptizās forte non tenetur credere assensu directe spectante ad fidem , illum esse in gratia , de quo alibi . Vel dicendum , supponi falsum , nempè conditum ab Ecclesia fuisse nouum

Fidei

articulum circa eam particularem, ma teriam, non enim constat id nō fuisse eodem modo certum tempore Apostolorum: nam licet Ecclesia decreuerit, infantes posse baptizzari, adhuc non constat Apostolos non baptizzasse infantes, & sic baptizatos credidisse habere gratiam. Et dato, quod actu non baptizauerint, sic exigente ea primæ aetatis conditione, potuerunt tamen existimare, licitum esse sic baptizare infantes, & docere, id non esse illicitum, quamvis pro tunc iudicauerint non expedire infantes baptizzari; non ergo efficaciter ostenditur in particulari ea materia conditum ab Ecclesia fuisse nouum fideli articulum.

Ad aliam confirmationem dicendum, sermonem ibi esse de fide, & credibilitate humanam omnino excedente certitudinem; nam ut diximus, ita est infallibile sanctum canonizzatum à summo Pontifice vere esse Sanctum, ut secundum prouidentiam ordinariam, qua Spiritus Sanctus assistit Ecclesie suæ error contingere nequeat. Ad ultimum dicendum, eam propositionem fuisse damnatam quatenus manifestam continebat hæresim, ex hoc enim motus est Vuiclef ad eam asserendam, quia putauit, Sanctos illos admittentes possessiones fuisse hæreticos, quod utique est erro-  
neum. Unde ob hanc potissimum causam eius propositio à Concilio damnata fuit.



# D V B I V M V.

**P**lacuit in præsenti dubio, quo  
huic materiæ finem imponi-  
mus, nonnullas difficultates breui-  
ter enodare, non multum enim po-  
stulant discussionis. Eas autem  
omnino prætermittere liberum non  
fuit, nam ad completam huius tra-  
ctatus notitiam non leuiter condu-  
cunt: curabimus autem breuitati  
consulere, ne in rebus minoris mo-  
menti supra id, quod par est deti-  
neamur. Sit ergo.

S. I.

## *Expenditur Prima difficultas.*

61. **Q**uod primo loco examinandum occurrit est, an possit Summus Pontifex absque consensu, & voto Cardinalium Sanctum aliquem canonizzare? Et respondendum affirmatiuè, quicquid in oppositum asserat Angelus Rocca. Ut verò id explicemus simul, ac probemus; sciendum ad Sanctorum canonizationem præmisso diligèti examine processuum, dari votum merè cōsultuum Theologorum afferentium licitum esse ad canonizationēm procedere; deinde Cardinales Cōgregationis Rituū idipsum per suffragia decisiva statuunt, horum postmodum decretum summus Pontifex approbat: ac tandem in Vaticano idem Santissimus Pontifex profert sententiam, qua completur Sanctorum canonizati.

canonizzatio. Potest ergo summus Pontifex examen processuum per seipsum exequi, eoque peracto iudicare licitum esse sanctum canonizzare, ac tandem in Vaticano definitiū am proferre sententiam.

*Caietan.* Ratio huius desumi potest ex doctrina, quam tradit Caietanus 2. 2. quæst. 67. art. 1. vbi afferit, quod in omnibus, quæ Papa potest per seipsum iudicare, potest se alteri subiucere, & quod in nullo potest se alteri subiucere, quod per seipsum iudicare non potest. Ratio huius est; nā omnia, quæ spectant ad potestatē iurisdictionis, possunt alteri cōmitti, nec delegata potestas potest in plus se extendere, quam potestas delegantis. Hinc fit, quod nequeat Papa per alium se suspendere, aut excommunicare; quia id per seipsum respectu sui ipsius exequi non potest. Fit rursus, quod sicut causas inter Sedem Apostolicam & quemcumque alium potest per seipsum iudicare, etiam possit alteri hoc iudicium committere. Fit demum, quod si fuerit sermo de causis, quæ vertuntur inter personam Papæ, & alios, ut puta, si Papa rapuit, occidit, infamauit. Papa est iudex ex parte personæ suæ non secundum plenam iustitiæ rationem, sed diminutè, quia non potest damnare personam suam punitiū, sed emendatiū ad restituendum Iesu quod tenetur. Et quemadmodum id potest, & deberet per seipsum iudicare, sic potest quoad hoc alterius se iudicio submittere. Hæc ibi Caietanus.

62. Ex qua doctrina habetur, quod iudicium circa hanc propositionem, licitum est procedere ad canonizationem sancti, possit summus Pontifex per seipsum ferre, quia gaudet potestate emendatiua sui proprij iudicij, sicut circa crimina, ita quoad sanctitatem personæ iudi-

*De Sanct. Beatis. & Canoniz.*

candæ, vndè non tenetur pendere à iudicio Cardinalium; & rursus sicut potest per seipsū, tale iudicium ferre independēter ab alterius emendatione, ita potest hoc idem iudicium Cardinalibus committere, & ab illo dependere, se illi subiuciendo sponte sua, subiectione emendatiua. Cæterum si loquamur de ultima ac definitiua sententia, qua aliquis pro Ecclesia vniuersali constituitur Sanctus nequit Pontifex huiusmodi iudicium alteri committere, nec quoad illum etiam sponte sua se alteri subiucere, nam sicut non potest seipsum canonizzare, ita nec alteri subdelegare potestatem canonizzandi Sanctum pro vniuersali Ecclesia, cuius iudicio ipsem suobiiciatur. Tum rursus, quia potestas canonizzandi Sanctum pro vniuersali Ecclesia dicit facultatem iurisdictionis in illam, hanc autem nequit summus Pontifex alteri committere, alias posset per alium etiā seipsum suspendere, vel excommunicare, quod spectat ad potestatē iurisdictionis, quod autem summus Pontifex nequeat alteri quoad iurisdictionem subiacere, docuit Angelicus Præceptor in 4. dist: 19. quæst. 1. art. 3. quæstiun: 3. ad 3. vbi afflignans discriminem inter hoc quod possit Papa alteri committere potestatem; qua absoluatur à peccatis, non qua excommunicetur, hæc ait. *Dicendum, quod iudicium exterius est secundum homines, sed iudicium confessionis est quoad Deum, apud quem redditur aliquis minor, ex hoc quod peccat, non autem apud hominum prælationes,* & ideo in exteriori iudicio sicut nullus in seipso sententiam dare potest excommunicationis, ita nec alteri committere, nec se excommunicare: sed in foro conscientiae potest alteri committere suam absolutionem, qua ipse uti non possit. Vel disendum quod *absolutio in foro confessionis est prin-*

*A a a cipaliter*

cipaliter potestas clauiam, & ex consequenti respicit iurisdictionem, sed excommunicatio respicit totaliter iurisdictionem quantum autem ad potestari ordinis annos sunt aequales, non autem quantum ad iurisdictionem, & ideo non est simile. In ultima ergo definitiua sententia de sanctitate Canonizzati gerit se Pontifex ut supremam habens iurisdictionem, alteri proinde incommunicabilem. In iudicio vero circa virtutes, & miracula Canonizzandi non sic, & idcirco sicut potest seipso ea iudicare, absque eo quod in emendatione huius iudicij ab altero pendeat, ita & pendere potest se alteri subicijendo. Vnde apparet, posse per scipsum independenter a quocumque alio, quicquid ad Sancti canonizationem exigitur, exequi-

### g. I I.

*Dirimitur secunda difficultas.*

63. **O**ccurrunt secundò discutiendum dubium, quod moruit N. Dominic: a Sanctissima Trinitate loco sapè adducto. Illud autem est, quenam ratione in Ecclesia Dei tam multæ colantur ut Virgines, etiam ex ijs, quæ in adulta aetate ad fidem conuersæ sunt martyrij, quæ palmam adeptæ videtur enim id non esse adeo certum, & infallibile, sicuti certum est eas esse Sanctas: siquidem Virginitas multis occultis modis desperdi potest: & quidem nedum illicite, verum etiam licite, nam hoc ipso quod Virgo habeat propositum nubendi, quod est licitum, si eiusmodi propositum non retractet, habeatque propositum numquam experiendi venerea sive licite, sive illicite, et si dicatur casta, non tamen Virgo, nisi dumtaxat quoad corporis integritatem,

quæ materialiter se habet ad Virginitatem, sicuti predictum propositum formaliter. Ita docuit *Sanctus Doctor* 2. 2. quest. 152. art. 1. his verbis *Propositum perpetuo abstinendi à tali delectatione, se habet formaliter, & completere in Virginitate.* Cui & alia addi potest dubitatio, quæ ex nunc dicta sequitur, cur Ecclesia vniuersaliter pro omnibus feminis, de quibus non constat seu per matrimonium, seu illicite Virginitatem amisisse, celebret officium tanquam de Virginibus; non vero idem contingat quoad viros, de quibus pariter non constat, aut eiusdem Virginitatis nubendo iacturam fecisse, aut alio illico modo, cum tamen de pluribus pro certo habeatur, in adulterate yotum castitatis solemniter per Religiosam professionem emississe? Imo pro nullis, de quibus per processus constat Virginitatem perpetuo coluisse, peculiarem officij ritum instituerit?

Quantum ad primam dubitationem optimè distinguit citatus author: nam si loquamur de illis, que ex utroque sanctitatis, & Virginitatis titulo inter Sanctas Virgines future conscriptæ, eadem est de earum sanctitate, ac Viginitate certitudo. At si loquamur de ijs, quæ non ex peculiari titulo Virginitatis, sed vel ex hoc, quod martyres obierint, vel quia heroicis claruerint virtutibus, sanctorum albo scriptæ fuerunt, posito quod aliunde non constet, Virginitatis detrimentum fuisse perperdas, festum veluti de Virginibus celebratur, non idcirco tamen ex definitiua Ecclesiæ sententia habetur, eas re ipsa aureola Virginitatis in celo decorari. Quare non est inconueniens, quoad haec rationem non haberi infallibilitatem, sed posse circa illam errorem contingere; idque maximè verum credimus

*S.Thom.*

dimus de Virginitate strictè sumpta, quæ per non retractatum nubendi propositum reparabiliter saltem deperditur. Quo fit, ut licet omnia argumenta, quibus prœviè ad canonizationem probatur insignis personæ sanctitas, collectiū sumpta, debeant esse vera, ut inde Pontifex ex peculiari Spiritus Sancti assistentia illum declaret: non inconuenit tamen, ut contingit etiam in præcedentibus definitiones fidei diligentijs, aliquod particulare in se falsū esse, non tamen ut tale cognitum aut probatum: sicut etiam verum in se esse potest, etsi nobis non fuerit sufficienti probatione manifestum.

64. Addimus, quod si loquamur de ijs, quæ per nudum propositū nubendi, ac proindè recuperabili amiseret Virginitatem, optimo iure credi potest ante mortis instans tale propositum retractasse. Et hoc ideo; nam vel urgente persecutione à furentibus Tyrannis martyrij palma donatæ sunt, & tunc putandum vel inter tormenta, vel ante mortē Deo inspirante, propositum illud mutasse in aliud perpetuæ immunitatis ab experiendis venereis, ut ita & martyrij purpura, & candore Virginitatis ornatæ venustiores Christo Spōso sibi possent: quæ enim invicto fortitudinis actu, fragilitati fæminei sexus martyrij palmam inserebant, piè credendum, promeruisse à Deo candidissimum illum, seruandæ Virginitatis sensum, ut cumulatius à Deo remuneratore duplīcī Virginitatis, & Martyrij aureola donarentur, ac luculentius lilia mixta rosis niterent. Quam doctrinam tradiderunt N. Salm: trac: de Beatitud disp: 3. num: 29. agentes de Sancta Ursula, eiusque inuictissimis socijs. At si fuerit sermo de ijs, quæ in pace deceperunt, posito quod heroicis claruerint virtutibus, quibus sanctitatis gloriam

*De Sanct. Beatiſ. & Canoniz.*

sunt adeptæ, ex merito exercitij tātarum virtutum credibile est, eodem Deo afflante, emisso prædictū propositū Virginitatis completiuū, ne splendidissima hæc gemma reliquo virtutum ornamento decesset. Maximè quia rara est mulier, quæ cogitet quæ Domini sunt, & consequenter sit Sancta, & non sit Virgo, iuxta Apost: 1. ad Chor: 7. *Virgo cogitat quæ Dominis sunt, ut sit Sancta apost. corpore, & Spiritu.*

Adde rursus, quod, ut vulgare fert axioma, in dubijs melior est conditio possidentis, tales autem fæminæ ( hoc ipso quod non probatur oppositum ) censentur esse in possessione Virginitatis, cum quoad id, quod exterius apparet, nihil exerceant Virginitati aduersum: Et quia Ecclesia iudicat de externis, idcirco quoad hunc consuetum modum iudicandi illius pro Virginibus reputantur. Eò vel maximè quia pietatis æquè ac honestatis amäfissima Mater Ecclesia, satius iudicavit eas ut Virgines venerari, quam oppositum vel statuere, vel merè negatiū se habendo, suspicionem aliquam deperditæ Virginitatisingerere: valde enim dedecet fæminarum honestatem, in ea vel dubiæ suspicionis maculam inferre, cum earum castitatem etiam insito pudore natura ipsa vallauerit. De quo etiam mox dicetur.

65 Ad eam, quā adiunxitus dubitationem ut fiat satis præmitendum, fæditate libidinis mulieres supra viros coinquinari. Vnde deducit Abulensis in cap: 30. Gen: q. 3. numquam licuisse feminis plures habere viros, vt licitum fuit aliquando viris plures habere uxores. Sequeretur: inquit ille, magna abominatione, cum unus vir sciret, quod alius coisset cum eadem uxore, cum qua ipse, quia cum iste actus sit turpis, & fædatus, valde

Aaa 2 abhor.

abhorreret quilibet vir à se fēdatā ab alio defadari, & hoc eos induceret ad nō accedendum ad uxores . Patet hoc ; nam non solum aliquis abhorret eam, quae ab alio fēdatā est , sed interdum eam , quam ipse fēdauit . Et post aliqua id confirmat sequenti exemplo . Hoc autem inter ardentissimos amatores vīsum est ; ut patet de Amon filio David, amante sororem suam Tamar , ita ut deperiret in amore eius, & viribus opprimens eam , concubuit cum ea & factum est , ut maius esset odium, quo oderat eam postquam cognovit, quam amor , quo eam ardentissime dilexerat, antequam cognosceret , ut patet 2 . Reg: 13 . Hoc posito arbitramur voluisse Ecclesiam Sanctarum decori fēminarum consulere , cum eas Virgines indiscriminatim censem , dum aliundē seu licetē per matrimonium , aut per nubendi propositum , seu illicetē eas excellentissima pulchritudine Virginitatis caruisse non constet . Nec multū quantum ad hoc sollicita fuit quoad viros, propter minorem fēditatem , quam ex predicto vitio contrahunt.

Sed dices contra hactenus dicta : facilius præsumi potest de muliere, quod amiserit Virginitatem , quam de viris ; ut enim docet S. Tho: 2 . 2 . quæst. 149 . art. 4 . mulieribus magis competit sobrietas , quia in ijs non est sufficiens robur mentis ad hoc, quod concupiscentijs resistat . Vnde secundum Valerium Maximum mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum . Et clarius eadem 2 . 2 . quæst. 156 . art. 1 . ad 1 . his verbis Philosophus loquitur de mulieribus, quasi non habentibus iudicium rationis firmum , quamvis in aliquibus mulieribus contrarium accidat . Et propter hoc dicit quod mulieres non dicimus continentes , quia non ducuntur, quasi habentes solidam rationem , sed ducuntur quasi de facili sequentes passiones . De quo videri etiam po-

test Abulen: in cap: 19 . Matth: q: 73 . vbi rem fusè , & eleganter pro *Abul.* more discutit.

Respondetur tum ex dictis Ecclesiam videlicet honestati fēminarum voluisse consulere; tum rursus quia licet quod in obiectione dicitur , secundum se sit verum, aliundē tamē in fēminis earum castitatem *s.Thom.* verecundia , quae est timor turpitudinis vt dixit S. Tho: 2 . 2 . quæst. 116 . art 2 . ad 3 . diligentius à fēditate luxuriæ custodit , vnde natura conscientia fragilitatis earum , eas maximē verecundas fecit . Tum quia pietas, ac deuotio solet in fēmineo sexu magis vigere, ex qua obarmari possunt aduersus libidinem .

### §. III.

#### Examinatur tertia difficultas .

66. **T**ertiò examinandum occurrit quid dicendum de cultu eorum, quos Venerabiles viros , ob famam sanctitatis appellant , an liceat , videlicet istos , qui nec canonizationis , nec beatificationis honore donati sunt , priuato aliquo cultu venerari ? Pro quo breuiter videndum, quid importet priuatus cultus ; & quid intelligatur nomine publici cultus . De isto loquens Eminentis: Belar:lib: 1 . de *Belar.* Beatitud: Sanc: cap: 10 . asserit , publicum cultum non esse eum, qui coram alijs exhibetur , sed qui nomine totius Ecclesiæ , & vt ab illa institutus tribuitur . Hinc habetur, quid sit priuatus cultus , nempe is , qui non exercetur nomine totius Ecclesiæ , nec prout ab illa institutus , quarè rationi priuati cultus non obstat , quod fiat à multis , nec rursus quod fiat de licentia Episcopi , qui

qui hac ætate non gaudet facultate canonizzandi, aut beatificandi, atque adeò nec potestate instituendi cultum nomine totius suæ Ecclesiæ. Obstat tamen priuato huic cultui, si fieret in publico templo, quia templæ non eriguntur nisi Beatis, aut Sæctis, sicut etiam non est dicendus priuatus cultus, si etiam in priuato oratorio celebretur eorum officium, missa recitetur, super altare collocentur eorum imagines, luminaria ante illas accendantur, litanij eorum nomina addantur, hæc enim, & si quæ sunt alia his similia, sunt publici cultus signa.

67. Nunc ergo dicendū quod loquendo de priuato cultu prædicta omnia excludente licitū est Venerabilibus viris vita functis illum exhibere. Sciendum est autem nomine Venerabilium virorum nos intelligere eos, de quibus insignis fama sanctitatis eorum loquatur, ita ut non sufficiat quælibet opinio, quod virtutibus & miraculis claruerint; dedecet enim absq; graui admodum fundamento priuatum etiam cultum alicui exhibere; Porrò eiusmodi fundamentum maximè habetur ex publica ea sanctitatis vulgata fama. Nam vt dixit Plinius in Panegyrico. *Singuli decipere & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Hoc posito.

Suadetur ratione, qua vtuntur communiter authores. Viris virtute insignibus, dum viuant licitum est exhibere aliquem cultum priuatum, qualis est, osculari eorum manus, genuflectere coram ipsis; eoru se commendare orationibus, & his similia in testimonium eorum Sanctimonie exercerè, ergo à fortiori id licebit post mortem. Antecedens pia docetur experientia, nec vñquā id vetitum fuisse inuenitur: quod rursus probare possumus, quia si viris dignitate aliqua, aut prælatio-

ne gaudentibus cultum, ac reuerentiâ honestissimè exhibemus, vtique etiam eos, quos ex egregijs facinoribus heroicis virtutibus præditos esse prudenter existimamus, iure optimo poterimus cultu, & veneratione dignos censere, atque adeo eos modo dicto colere. Consequen-  
tia constat, siquidem consummato felicitate huius vitæ curriculo, tu-  
tius est eos honore afficere, magis  
que nobis proficuum, cum pruden-  
ter admodum existimare possimus  
eos feliciter iam cum Deo regnare,  
posseque apud ipsum pro nobis ora-  
re. Et demum excellentioris gra-  
tiæ consummatæ status magis eam  
exigit venerationem.

Confirmatur. Antequam venerabiles ij viri inter sanctos scribantur oportet, vt miraculis fulgeant, sed hæc regulariter fiunt supposita inuocatione, & cultu, ergo licitum erit prædictis venerabilibus viris cultū priuatum exhibere. Maior patet ex praxi Congregationis Rituū. Minor suadetur, nam etsi fiunt aliquando absque inuocatione & cultu, non consueuerunt tamen fieri nisi ea supposita inuocatione, qua nostram recognoscimus indigentiam, ac per eiusmodi humilitatis actum disponimur ad facilius obtinendū, quod habemus in votis. Tum rursus quia caro emitur pretio, quod precibus comparatur, quod autem carius emptum est, maiori habetur in pre-  
cio, ne ergo, quod obtinetur vilescat, oportuit sollicitis prius conquisitum fuisse precibus. Consequen-  
tia liquet.

68. Sed dices: Alexander Ter-  
tius citato sæpè cap: *Audiuimus de reliquijs & veneratione Sanctorum,*  
inhibet alicui exhibere cultū absq;  
authoritate Romanæ Ecclesiæ, ergo  
nec priuatum cultum licebit tribue-  
re ijs, quos nec beatificationis, nec  
canonizationis honore dignos ad-  
huc

huc censuit Romana Ecclesia. Antecedens suadetur ex verbis illius textus, quæ sunt huiusmodi. *Illum ergo non presumatis de cætero colere: cum etiam si per eum miracula fierent, non licebit vobis ipsum pro Sancto absque authoritate Romane Ecclesie colere.* Consequentia probatur, quia cum absolutè prohibeat omnis cultus, videtur is textus intelligendus etiam de cultu priuato.

Respondetur ex Belarmino loco citato dicente, id communiter à Doctoribus exponi de publico cultu non vero de priuato, de quo nos loquimur. Addimus præterea, eam prohibitionem potuisse etiam in eo particulari eventu intelligi de cultu priuato, nam ibi est sermo de homine in ebrietate, fortè in odium fidei occiso, cui proinde tanquam martyri cultum exhibebant; ex quo tamen non sequitur extendendam eam prohibitionem ad priuatū cultum Venerabilium virorum, de quorum heroicā virtute prudens admodum existimatio habetur.

Notandum hic occurrit, dixisse P. Ioa: a S. Tho: disp: 9 . in 2 . 2 . art. 2 . §. Vlt: licere ad sepulchra venerabilium virorum cereos accendere, ac votiuas appendere tabellas. Sed hoc scriptum est ante editam declarationem Urbani Octavi, qui seuerè prohibet eiusmodi cultum his verbis. *Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam & inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento &c.* Quamuis postmodum concedat posse eiusmodi tabellas recipi, ac secreto aliquo in loco custodiri. Plura etiam alia habentur in eadem declaratione, satis ad presentes conducentia, quam reperies tomo 5 . Bullarij pagina nobis 283 . vide etiam in eodem tomo pagina nobis 92 . vbi adest bulla, qua idem Pontifex prohibet iinagines nondum Beatificatorum cum radijs, ac

splendoribus expingere.

69. Placet etiam hic breuiter decidere dubium, de quo aliquando disputatū vidimus. Expeditum iam fuerat decretū beatificationis Beati P. N. Ioannis à Cruce, sed adhuc in Basilica Vaticana solemnis beatificationis ipsius ritus habitus nō fuerat: cum recurreret ergo dies obitus eiusdem, dubitatum est, an licitum foret imaginem Beati super altare, constituere, in priuato tamen oratorio, accensis etiam ante illam facibus? Et Responsum fuit affirmatiue.

Verum iuxta sententiam, quam supra agentes de canonizzazione sanctorum elegimus, videtur id nō nihil habere difficultatis. Nam sicut ibi dictum est essentialiter ad canonizzazione requiritur, quod in templo Vaticano, vel alio Beatus pronuncietur Sanctus à summo Pontifice: ita videtur dicendum de Beato, nempè exigi ut in publico templo coram Cardinalibus publico cultu honoretur ac adoretur: siquidem etiam collocazione super altari in priuato oratorio, ardentibus ante ipsa luminaribus est cultus ex publica Ecclesiæ autoritate, solis beatis, aut Sanctis tribuendus.

Respondetur tamen id non obesse, nam est diuersa satis ratio de canonizzazione, ac sit de beatificatione, expedito enim decreto, quo à summo Pontifice permittitur Beati cultus, iam summus Pontifex munus suum adæquatè & quoad essentialia beatificationis perfecit, & consequenter solemnis ille ritus, qui coram Cardinalibus in Vaticano peragitur, solum spectat ad aliquod accidentale Beatificationis complementum. Secus contingit in Canonizzazione Sanctorum, nam adhuc post expeditam bullam, pronuncianda superest à summo Pontifice definitiva sententia, quæ vtiquè est essentiale

P. Ioa: a  
S. Thom.

Urbani.

Papa 8.

Bullar.

tiale canonizationis complementum. Vnde non est simile.

70. Sed vrgebis. Si hoc verum esset nedum ante solemnem ritum in Vaticano peractum, liceret in priuato oratorio beatum ijs honoribus colere, verum etiam in publico templo, sed hoc est falsum, ergo & id vnde sequitur. Maior constat si enim ritus ille accidentaliter solum ad beatificationem requiritur, simpliciter & absolute licitum erit essentialiter beatificatum colere in publico templo, missas, & officium solemniter in eius honorem decantare. Minor constat ex praxi communis.

Respondeatur quod etiamsi absolute loquendo posset concedi maior, videtur enim aperte sequi ex allato discriminine, quod verum credimus. Maximè quia vti supra dictum est publicus cultus ille est, qui ex authoritate publica Ecclesiae decernitur, & erectio altaris accensio luminarium sint eiusmodi, etsi hæc priuato exercerentur in oratorio, & ideo etiam in illo negatur communiter tales cultum exhiberi posse non Beatificatis. Vnde fit publicum cultum non pendere à publico templo, & consequenter si conceditur ea quæ diximus fieri posse in priuato oratorio, non videtur negandum exerceri etiam posse in templis. Sed

adhuc melius neganda omnino est sequela majoris. Tum quia rectus ordo id omnino postulat, nempe ut prima, ac omnino publica solemnitas in templo Principis Apostolorum peragatur. Tum quia saltem usque ad hanc peractam beatificatio non est accidentaliter completa, adeoque incouenit publicum prorsus cultum in alijs tēplis beatificato exhibere. Quare non sat est Summum Pontificem partes suas omnino expresse, quia inde solum habetur positam fuisse essentiam Beatificationis, non vero illius accidentia, quod tamen exigitur ad publicum prorsus cultum, & prorsus publicū dicimus, quia hoc ipso quod ante peractam in Vaticano solemnitatem, ea omnia quæ diximus fiant in priuato oratorio; saltem accidentaliter non habet rationem publici cultus. Et huius non leue argumentum est, quod etsi permittatur erectio altaris, luminarium appositiō, non tamen datur facultas canendi officium, aut missam de Beatificato celebrandi, hæc enim omnia completam rationem publici undequaquam cultus constituant. Et hæc de hoc tractatu dixisse sufficiat, in quo si quid minus consonum Catholicæ Veritati dixisse contigerit, Sanctæ Romanæ Ecclesiae correctioni humiliter subjicimus.

L A V S D E O.

to obtain a more certain result  
we may add, that the author  
of the present paper has been  
able to find no traces of any  
such a species of animal in  
any of the numerous specimens  
of fossiliferous limestone which  
he has examined. It is however  
not to be denied that the  
specimens of fossiliferous  
limestone which have been  
examined by him are not  
so numerous as would be  
desirable, and that it is  
possible that some such  
animal may exist, but  
which has not yet been  
discovered. In this case  
it would be well to  
make a more careful  
examination of the  
fossiliferous limestone  
which has been examined  
by him, and to pay  
more attention to the  
specimens which he  
has described.

It is also to be observed  
that the author of the present  
paper has not examined  
any of the fossiliferous  
limestone which has  
been found in the  
vicinity of the town  
of Tivoli, in Italy,  
and which is known  
to contain many  
fossils of various  
kinds. It is therefore  
possible that some  
such animal may exist  
in this limestone,  
but which has not  
yet been discovered.  
In this case it would  
be well to make a  
more careful examination  
of the fossiliferous  
limestone which has  
been found in the  
vicinity of the town  
of Tivoli, in Italy,  
and which is known  
to contain many  
fossils of various  
kinds.

It is also to be observed  
that the author of the present  
paper has not examined  
any of the fossiliferous  
limestone which has  
been found in the  
vicinity of the town  
of Tivoli, in Italy,  
and which is known  
to contain many  
fossils of various  
kinds. It is therefore  
possible that some  
such animal may exist  
in this limestone,  
but which has not  
yet been discovered.  
In this case it would  
be well to make a  
more careful examination  
of the fossiliferous  
limestone which has  
been found in the  
vicinity of the town  
of Tivoli, in Italy,  
and which is known  
to contain many  
fossils of various  
kinds.

## T A B L E



2111 JAS 1 VI 1700

# I N D E X

## L O C O R V M

# SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in hoc Traſtatu continentur.



### Ex Veteri Testamento.

**C**AP. 1. Dominamini piscibus  
maris, & volatilibus Cœli.  
D. 1. num. 39.

### Ex EXODO.

Cap. 20. Non concupisces domum pro-  
ximi tui, nec desiderabis uxorem  
eius non seruum, non ancillam,  
non bouem, non asinum, non om-  
nia, que ipsius sunt D. 4. num. 18.  
Cap. 25. Duos quoque Cherubim au-  
reos, & produciles facies ex utra-  
que parte oraculi, Cherubim unus  
sit in latere uno, & alter in altero  
D. 4. num. 7.

Cap. 37. Duos Cherubim ex auro du-  
Pater Fr. Blasius De Adorat.

Et illi quos posuit ex utraque parte  
propitiatory D. 4. n. 37.

### EX NUMERORVM LIBRO.

Cap. 21. Fac serpentem encum pro fi-  
gno, qui percussus aspercerit viues  
D. 4. num. 7.

### EX DEVTERONOMIO?

Cap. 4. Memento quod Dominus lo-  
quutus sit tibi in monte Oreb, vocem  
verborum audisti, imaginem nul-  
lam vidisti; obserua ergo te ipsum  
ne forte decepimus facias tibi ullam  
similitudinem D. 4. num. 31.

### EX IOSVE.

Cap. 5. Apparuit ei Angelus in specie  
viri habens in manu gladium, cu[m]  
B b b dixit

# SACRÆ SCRIPTVR AE.

dixit Iosue, noster es an aduersarius? & ille nequaquam, sed, Princeps sum exercitus Domini. Cōjunctu cecidit Iosue in terram, & pronus adorauit D. 3. num. 3.

## EX I. REGVM.

Cap.28. Et intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adorauit D. 3. num. 3.

## EX III. REGVM.

Cap.1. Cumq; introiisset in conspectu Regis, & adorasset eum pronus in terra D. 3. num. 15.

Cap.7. Sculpit quoque in tabulatis illis, que erant ex are, & in angulis Cherubim, & Leones & palmas quasi in similitudinem hominis stantis D.4.num. 9.

Cap.9. Sanctificaui Domum hanc, quam edificasti ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus D. 5. num. 5.

Cap.11. Cumq; iam senex esset, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur Deos alienos D. 4. numer. 7.

Cap.eod. Colebat Salomon Aetharten Deam Sydoniorum &c. D.4.num.7.

## EX IV. REGVM.

Cap.10. Confregitque serpente aneum, quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum D. 4. numer. 15.

Cap.13. Cum tetigisset ossa Elisei rex uixit homo, & stetit super pedes suos D. 6. num. 31.

## EX II. PARALIPOMENON.

Cap.14. In te enim & in tuo nomine

habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem D. 5. num. 14.

## EX ESTER.

Cap.7. Etiam Reginam vult opprime re me presente D. 4. num. 55.

## EX PSALMIS.

Psal.9. Non est Deus in conspectu eius inquinatae sunt viæ illius in omni tempore D. 4. num. 57.

10. Sol cognovit Occasum suum D. 7. num. 13.

50. Malum coram te feci D. 4. numer. 55.

81. Ego dixi Dj estis, filij Excelsti omnes D. 3. num. 4.

83. Cor meum, & caro mea exultaerunt in Deum uiuum D. 6. numer. 35.

91. Delectasti me Domine in factu ria tua, in operibus manuum tuarum exultabo D. 4. num. 56.

96. Adorate Deum omnes Angeli eius D. 1. num. 16.

213. Simulachra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, D. 4. num. 2.

Os habeni, & non loquentur D. 5. num. 20.

138. Nimis honorificati sunt amici tui Deus D. 3. num. 3.

## EX PROVERBIIS.

Cap.4: Ego fui filius Patris mei tenellus, & unigenitus coram matre mea D. 5. num. 91.

## EX ECCLESIASTE.

Cap.9. Nescit tamen homo virum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta D. 8. num. 14.

EX

# INDEX LOCORVM

## EX SAPIENTIA.

Cap. 2. Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reverentia disponis nos  
D. 4. num. 60.

Cap. 9. Cogitationes mortalium timide, & incerta prouidentia nostra  
D. 8. num. 43.

Cap. 13. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subsistit scientia Dei  
&c. D. 7. num. 2.

## EX ECCLESIASTICO.

Cap. 19. Qui credit citio leuis est corde  
D. 5. num. 70.

Cap. 44. Laudemus viros gloriofos, & parentes nostros in generatione suas multam gloriam fecit Dominus  
&c. D. 8. num. 7.

Ex eod. Sapientia ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia &c. D. 8. num. 7.

## EX ISAIA.

Cap. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatam & ea quae sub ipso erant replebant templum Seraphim stabant super illum sex ala uni, & sex ala alteri, & duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant D. 4. num 31.

Cap. 9. Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis Pater futuri seculi, Princeps pacis  
D. 5. num. 102.

Cap. 40. Cui ergo similem fecisti Deum? qui quam imaginem ponetis ei? D. 4. num. 25. num. 31.

Ex eod. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputantur sunt ei D. 2. numer. 5.

Cap. 45. Mibi curabitur omne genus D. 2. num. 2.

Pater Fr. Blasius De Adorat.

## EX IEREMIA.

Cap. 9. Ascendit mors per fenestras nostras ingressa est domos nostras  
D. 5. num. 20.

## EX EZECHIELE.

Cap. 9. Et dixit Dominus ad eum transi per Cenitatem in medio Hierusalem, & signa Thau per frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, que sunt in medio eius D. 6. num. 21.

## EX MALACHIA.

Cap. 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, ac legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercitium est D. 4. num. 33.

## EX I. MACHABAEORVM.

Cap. 2. Nunc ergo filii amulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, que fecerunt in generationibus suis, ut accipiatis gloriam magnam, & nomen aeternum D. 8. num. 6.

## Ex Nouo Testamento.

## EX MATTHAEO.

Cap. 10. Esote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbe D. 8. num. 58.

Cap. 12. Quae est mater mea, & qui sunt fratres mei: Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei ipse meus frater, & soror & Mater est D. 3. num. 44.

Cap. 20. Accessu ad eum mater filiorum Zebedei adorans, & petens aliquid ab eo D. 1. num. 28.

# SACRAE SCRIPTVRAE.

## EX LVCA.

- Cap.3. Et erat subditus illis D. 3. num. 32. 39. 63.
- Cap.11. Beatus venter qui te portauit, & ubera, quæ suxisti D. 3. num. 73.
- Ex eod. Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud D. 3. num. 44. 53.
- Cap.16. Factum est ut moreretur medicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahe D. 3. num. 13.
- Cap.22. Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tyos D. 8. num. 45.

## EX IOANNE.

- Cap.1. Verbum caro factum est D. 2. num. 7.
- Cap.4. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate, nam & Pater tales querit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant, in spiritu, & veritate oportet adorare D. 1. num. 16. 26.
- Cap.5. Pater omne iudicium dedit filio, ut omnes homines honorifcent filium, sicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum D. 2 num. 2.
- Cap.10. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus D. 3. num. 3.
- Cap.14. Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus D. 4. num. 30.
- Cap.16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, cum autem venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem D. 8. num. 59.

## EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

- Cap.2. Factus est repente de Calo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ lingue tanquam ignis D. 8. num. 3.
- Cap.3. Non est aliud nomen sub Cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri D. 5. num. 95.
- Ex eod. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula D. 5. num. 96.
- Cap.10. Surge, & ego ipse homo sum D. 3. num. 14.
- Cap.15. Visum est Spiritui Sancto, & nobis D. 8. num. 28.
- Ex eod. Abstinete vos à simulacris D. 4. num. 2.
- Cap.19. Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab his languores, & spiritus nequam egrediebantur D. 6. num. 31.

## EX EPISTOLIS B. PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

- Cap.1. Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volvorum, & quadrupedum, & serpentum D. 7. num. 2.
- Cap.8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum D. 3. num. 5. D. 8. num. 9.
- Ex eod. Si compatimur, ut & glorificemur D. 6. num. 38.
- Cap.11. Sine penitentia sunt dona, & vocatio Dei D. 8. num. 4.
- Cap.12. Honore inuicem prænientes D. 3. num. 7.
- Cap.13. Que autem sunt à Deo ex ordinata sunt D. 8. num. 30.

EX

# INDEX LOCORVM

## EX I. AD CHORINTIOS.

- Cap. 1. Verbum Crucis pereuntibus  
stultitia est, his autem qui salvi  
fiunt, idest nobis Dei virtus D. 6.  
num. 9.
- Cap. 6. An nescitis quoniam membra  
vestra templum sunt spiritus san-  
cti, qui in vobis est, quam habetis  
a Deo D. 6 . num. 35.
- Cap. 7. De Virginibus praeceptum Do-  
mini non habeo D. 4 . num. 50.
- Ex eod. Virgo cogitat, qua Domini  
sunt, ut sit sancta corpore, & spiri-  
tu D. 8 . num. 64.
- Cap. 10. Omnia in gloriam Dei faci-  
te D. 1 . num. 32.
- Cap. 15. Stella enim differt a stella in  
claritate D. 3 . num. 8.

## EX II. AD CHORINTHIOS.

- Cap. 5. Si cognoverimus secundum  
carnem Christum, sed nunc iam non  
nouimas D. 6 . num. 41.
- Cap. 10. Non qui seipsum commendat  
ille probatus est, sed quem Dens  
commendat D. 8 . num. 7.
- Cap. 11. Sathanas transfiguratus se in  
Angelum lucis D. 3 . num. 67.
- Cap. 12. Sufficit tibi gratia mea D. 8.  
num. 14.

## AD GALATAS.

- Cap. 2. Cum autem venisset Petrus  
Antiochiam in faciem restitu, quia  
reprehensibilis erat D. 8 . num. 40.

## AD EPHESIOS.

- Cap. 3. Ut innotescat Principatibus,  
& Potestatibus in caelestibus per Ec-  
clesiam multiformis Sapientia Dei  
D. 3 . num. 22.

## AD PHILIPPENSES.

- Cap. 2. In humilitate superiores sibi  
in uicem arbitrantes D. 3 . num. 9.
- Ex eod. Semetipsum exinanivit for-  
mam serui accipiens in similitudi-  
nem hominum factus, & habitu in-  
uentus ut homo D. 2 , num. 4.
- Ex eod. Humiliauit semetipsum factus  
obediens usque ad mortem, mortem  
autem crucis, propter quod Deus  
exaltauit illum, & donauit illi no-  
men quod est super omne nomen. D.  
6 . num. 15.
- Ex eod. In nomine Iesu omne genu fle-  
ctatur Celestium, terrestrium, &  
infernorum D. 5 . num. 93.
- Cap. 3. Reformabit corpus humilitatis  
nostra configuratum corpori clari-  
tatis sua D. 6 . num. 36.

## AD COLOSSENSES.

- Cap. 1. Qui est imago Dei inuisibilis  
primogenitus omnis creature quo-  
niam in ipso condita sunt uniuersa  
in Caelis, & in terra, visibilia, &  
inuisibia D. 5 . num. 34.
- Cap. 2. Delens quod aduersus nos erat  
Chirographum decreti, quod erat  
contrarium nobis, & ipsum tulit de  
medio affigens illud crucis; & expo-  
lians principatas, & potestates tra-  
duxit confidenter palam triumphas  
illos in semetipso D. 6 . num. 9.
- Ex eod. Nemo vos seducat volens in  
humilitate, & religione Angelorum,  
qua non vedit ambulans D. 6 : nu-  
mer. 41.

## AD THESSALONI- CENSES. I.

- Cap. 4. Simul rapiemur cum illis in  
nubibus obuiam Christo D. 3 . nu-  
mer. 13.

# SACRÆ SCRIPTVRÆ.

## AD HEBRAEOS.

modestis, sed etiam dyscolis D. 2.  
num. 27.

Cap.4. Viuus est enim sermo Dei, &  
efficax. D. 5. num. 19

Cap.5. Omnis Pontifex ex hominibus  
assumptus, pro hominibus constitui-  
tur in his quæ sunt ad Deum D. 8.  
num. 28.

Cap.9. Omnia penè in sanguine secan-  
dum legem mundantur, & sine san-  
guinis effusione non fit remissio D.  
8. num. 5.

Cap.11. Fide Iacob moriens singulos  
filiorum Ioseph benedixit, & ado-  
ravit fastigium virge eius D. 6.  
num. 3.

## EX EPISTOLA I. B. PETRI APOSTOLI.

Cap.2. Serui subditi estote in omni ti-  
more dominis non tantum bonis, &

## EX EPISTOLA I. B. IOANNIS APOSTOLI.

Cap.4. Carissimi nolite omni spiritui  
credere, sed probate spiritus si ex  
Deo sint, quoniam multi pseudopro-  
phetæ exierunt in mundum D. 5.  
num. 70.

Ex eod. Timor non est in charitate D.  
1. num. 43.

Cap.5. Filioli custodite vos à simula-  
chris D. 4. num. 2.

## EX APOCALYPSI.

Cap.1. Ego sum primus, & nouissi-  
mus, & fui mortuus, & ecce sum  
vivens D. 3. num. 19.

Cap.22. Deum adora D. 3. num. 14,



ANTOLAZZINI A.

INDEX

# INDEX NOTABILIVM.

Prior Numerus paginam designat, secundus verò Disputationem, tertius tandem est numerus marginalis.

## *Actio.*



CTIONES aliquæ reflectuntur supra suppositū, secùs aliæ 284. disp: 6 . num. 14 . Imò supra instrumenta. Ibidem. Actiones, quæ tractum temporis requirunt, retractari ac suspendi possunt, quoisque prolata non fuerit definitiua sententia 337 . disp. 8 . num. 17 .

## *Actus.*

Actus aliquis potest esse tantum extrinsecè liber, & tamen intrinsecè bonus, & quomodo. 6. disp: 1 . num. 7 . Actus externus aliquando est materia per se virtutis, aliquando verò per accidens 7. disp: 1 . num: 9 . Actus externi considerari possunt ut exercitia, & vt obiecta actuum internorum, priori modo sunt effectus, posteriori causæ 15 . disp: 1 . num. 20 . In primo actu elicito ab aliqua potētia splendet natura talis potentiae 25 . disp: 1 . num. 34 . Actus dupli modo terminari potest ad aliquid ratione alterius. 42 . disp: 2 . num. 14 . Actus dicitur secundarius duobus modis 59 . disp: 2 . num. 36 . & sequen: Actus primarij materiale,

obiectum, est formale respectu secundarij. Ibidem. Probabile est dari peculiarem actum Charitatis, qui adorationi hyperdulix respondeat 68 . disp: 2 . num: 48 . Actus nequie specie distingui nisi per ordinem ad obiectum specie diuersum 236 . disp: 5 . num 50 . Sumit specificationem, & rectitudinem ab obiecto proximo ibidem num. 52 .

## *Adoratio.*

Adorationis nomen quot modis sumatur 1 . disp: 1 . nu. 1 . Adoratio Civilis indispensabiliter requirit actum externum, in quo consumetur 2 . disp: 1 . num. 2 . Adoratio Sanctis exhibita essentialiter consummatur in actu interiori 18 . disp: 1 . num. 20 Adoratio ex peculiari sua ratione denotat aliquem actum externum 20 . disp: 1 . num. 28 . Quamuis adoratio essentialiter consummetur in actu interno, adhuc per illam homo exterior Deo primo principio subditur, ibidem num. 29 . Adoratio ut omnino perfecta prorumpit in externa submissionis signa 21 . disp: 1 . num. 30 . Adoratio communiter dicta sumitur pro omnium virtutum actibus, comprehendendo etiam Theologales 22 . disp: 1 . num. 31 . Adoratio propriè dicta

# N O T A B I L I V M.

dīcta est actus à virtute Religionis elicitus . 23 . disp: 1 . num. 32 . Adorationis actus elicitor à voluntate elevata per virtutem Religionis : quam cognitionem prærequisit? & an vterque actus ad essentiam illius spectet? Ibidem. Adorationis actus erga Deum est unus unitate specifica , & aethera 24 . disp: 1 . num. 33 . Quodnam sit eius formalē specificatiuum? Ibidem. Adorationis externus actus tendens in Deum , ut in plurimum non est determinatus . 32 . disp: 1 . num. 44 . Adorationis species triplex est,nempe Latria, Hyperdulia , Dulia 51 . disp: 2 . num. 26 . Adoratio de qua potissimè agitur in hoc tractatu tribuitur Personæ ratione moralis sanctitatis , 52 . disp: 2 . num. 27 Quenam fuerit Adoratio quam Mardochaeus Aman denegauit? 85 . disp: 3 . num. 15 . & sequen: Adoratio exhibita ratione dignitatis Apostolatus non est Dulia superior 107 . disp: 3 . num. 41 . & sequen: Adoratio indirecta à quo habitu eliciatur , & in quo consistat 119 . disp: 3 . num. 58 . & sequen: Eadem Adoratio tribui potest Regi creato,eiusque Matri, secus loquendo de Christo eiusq; Matre & quare. 147 . disp: 3 . num. 98 . Adorari possunt quæ adduntur alteri excellentiori adorabili 159 . disp: 4 . num. 13 . Adoratio exhibenda vestibus Sacris , Calicibus &c. 313 . disp: 6 . num. 55 . Ad terminandum secundarium adorationis actum requiritur intrinseca excellentia 324 . disp: 7 . num. 13 .

## *Angelus.*

In Angelis bonis ponenda est virtus Urbanitatis; Imò,& in malis, sed in istis præcisè quoad entitatem 9 . disp: 1 . num. 11 . & sequen: Angelii obsequuntur Animabus Sanctis , à corpore separatis 84 . disp: 3 . num. 13 . Quare Angelus prohibue-

